7
13-a
15

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
7
10 C
13

7. 13-a-15

Digitized by Google

XXVII. B. 16

Digitized by Google

44.B.

Digitized by Google

APOLOGIA
PRO PIETATE
MESSANENSIVM
EX TRADITIONE

REPROMISSAE PROTECTIONIS


IN EPISTOLA

B. M. VIRGINIS
ADVERSVS

ROCCHVM PIRRVM NETINVM;

AVTHORE,

V.I.D. BENEDICTO SALVAGO.



MESSANAE, Typis HH. Petri Breæ. M CD XXXIV.

Superiorum Permiſſu. DC

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google



Digitized by Google

ILLVSTRISSIMIS
MESSANAE VRBIS
SENATORIBVS

D. MARCELLO CIRINO BARONI S. BASILII EQVITI SANCTI IACOBI, D. IOSEPH PORTIO, D. IO. DE AVERNA, THOMAE SVAGLIA, D. PALMERIO DE IOANNE BARONI SOLATII, PETRO PELLEGRINO.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

MVltis nominibus hoc opus debeo vobis Senatus Illuſtriſſime; ſiue Ciuem me veſtrum, ſiue veſtris addictum ſpectetis obſequijs. Nam vt veſtra in me beneficia complectar, neque breuis hæc nuncupatoria

permittit, neque patitur modeſtia, nec denique mei eſt ingenij, verbis, haud factis reſpondere; longè vt hinc abeſſe velim, nedum ſpeciem, ſed vmbram adulationis. Vnum inter omnia caput eſt, quod argumentum iure ſuo expoſcit, ſiue id ſit religio veſtra, ſiue officium meum, ſiue demum vtrumque, ſed icçirco vnum, quod in Reipublicæ veſtræ ſalute perquã vnicè verſatur. Religio veſtra, ſi ad omne pietatis genus ſeſe extendit, tum præcipuè in cultu Deiparæ Virginis, quam ex pignore Sacræ Epiſtolæ veneramini, ſplendeſcit magis: officium verò meum, in hoc eodem cultu promouendo, quantum hactenus enituerit, non alium præter voſmetipſos, Senatoriaſq; tabulas teſtẽ laudo. Enimuerò cùm nuper ad ſanctiora Vrbis Tribunalia, res veſtra rediiſſet, præclarè illic quidem cauſæ patrocinatus eſt Melchior Inchofer, quem Religionis veſtræ in Deiparam defenſæ inuictum Propugnatorem non immeritò dixerim; ſed mihi Meſſanæ, Patrocinij prouincia à vobis impoſita fuit, qua laborioſè admodum fungens, illi ipſi quodammodo ad manus eſſem, & per omnia literis,

&

& officio reſponderem. Qua occupatione ꝑ quinquenniū fere diſtentus, quibus numeris in oculis Ciuitatis veſtræ partes impleuerim, credo equidem apud vos metipſos nō ſemel perpendiſtis, ac probaſtis. Quapropter rebus iam in vado conſtitutis, cū rurſus inuenirentur male feriati quidā, ſuo quidem genio, ſed alieno calamo pietatem veſtram laceſſentes, & læſa ſanctiorum Vrbis Tribunalium reuerentia, perturbantes, par fuit, vt ego rurſus periclitarer, & qui lapidem antea moueram, lutulentos hoſce ſcrupulos excuterem, in infectos authores regererem. Nec dubium quin labor iſte me ante omnes petiuerit, quando Melchior Inchofer, cuius alioqui primæ partes erant, maioribus occupatus, alienum à ſe duxit cum cœcis, & imperitis Andabatis, & quibus præcipuè in lingua mens eſſet, depugnare. Quid igitur ſymboli, ac teſſeræ geram videtis Sen. Illuſtriſſime. Accipite munus leuidenſe, ſed vt initio dicebam, nomini debitum veſtro, cui pro religione veſtra tuenda pridem animū deuoui meum. Maiora domi condo, quæ ſuo tēpore lucē à ſplendore veſtro ſunt acceptura, & nobilio-

ribus

ribus, vt ſpero, longeq; verioribus notis, quàm recentes Pirrianæ afflictæ Notitiæ inceſſuræ. Valete.

Meſſanæ VI. Kal. Iulij. M DC XXXIV.

DD. VV. Illuſtriſs.

Addictiſs. Cliens

Benedictus Saluago.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

NOn miraberis opinor, benigne Lector, quid hæc noua Apologia hoc tempore præſeferat; didiciſti cauſam cum ex præmiſſa ad Senatum nuncupatoria, tum ex publica fama. Iuuat nihilominus explicatiorem facti rationem paucis reddere. Miratus ſum imprimis hominis, in quem ago, audaciam, qui, dum res noſtræ Meſſanenſes apud Sanctiora Romæ Tribunalia expenderentur, iudicium ſibi vſurpauit, & temerè, vt ita dicam, præiudicauit, damnans etiam, ac damnaturus quæ illic pro pietate acta, agendaque forent. Dolui deinde Melchiorem Inchoferum virum morum integritate conſpicuum, ſcientiarumomnium peritiſſimum, qui pietatis Meſſanenſis, libro etiam ſcripto, patrocinium ſuſcepiſſet, traduci ab homine longè diſſimillimo, à quo fortaſſe nec laudari voluiſſet, & cui non

aliud

aliud præſidium, quàm in maledicendo poſitum eſſet. Scilicet nomen inde comparandum ſibi exiſtimabat, ſi more arrogantium in virum eius nominis debacchatus fuiſſet, cùm interea ad rationes eius nihil, nec ſpecie quidem ſolidi, reſponderet; ſophiſticè duntaxat quædam pro libidine ex loco ſuo decerpens, & in conſequentias non in loco digerens, quaſi id Melchior Inchofer, eodemque textu diceret, quæ ille dialectica, & grauioris doctrinæ expers, malè ab alijs ſuggeſta conſuiſſet. Ita nempe ſimplicioribus tenebras offudit, alijs fumum vendidit, ſibi palpum emit egregius nundinator. Mitto verò quàm penè ſingula truncatim, falsò, & contra ſenſum dictorum, imò & in animum viri integerrimi aculeos figens, peruerterit, & inuerterit, quæ omnia totus hic liber liquida facit. Cetera argumenta in re, & loco militantia ne attingere quidem auſus, & tamen iactantior ſui, dum verbis abundat, quaſi rem præclare confecerit, lectori fucum facit, ita interim infantiam, & inſcitiam callidè diſſimulans; vt mirum admodum ſit hominem in medio literatorum eſſe, qui non melius honori eorum, quibus placere ſtudet, nouerit cōſulere. Atque hæc tolerari fortaſſe poſſent, in animo ad audendum proiecto, niſi vehementius doleret ſan-

ctio.

ctiora etiam ſummorum Pontificum ſiue decreta, ſiue reſcripta, & quæ breuia vocant, ſine reuerentia tractari, contra executorum in regia curia fidem, paſſim peruerti, erroribus, & rerum, & verborum ne dicam iuris, & facti inſpergi; vt turpe ſit vnius, alteriuſue infantia, fidem Siculam, alioqui integerrimam, & ornamenta Regni periclitari, quaſi iſta conſiſtere nequaquam poſſent, niſi falſitate, & mendaciorum fulcris nixa, vt inde ceteris quoque ex ſemel concepta, præſumptaque fraude plurimum debeat decedere: quamquã hinc minus mirabile videri queat, ſi bonorum authorum dictis, alijſque veris hiſtoricis narrationibus facile imponat is, qui ſanctiora quaſi de more violare auſit. Et excruciarer animo magis, niſi ſperarem huiuſcemodi temeritati aliquando publica correctione, ad quos ſpectat obuiã ituros. Interim benigne lector, quæ hic damus boni conſule, plura pro veritate ex tot falſis eruenda propediem accepturus, ſi cogites me tuĩ quoque veritatem docendi cauſa, ſtylum temperaſſe. Vale.

Digitized by Google

Hieron. lib. 1. Aduerſus Ruffin.

HAEC MIHI PRAESCRIBVNT AMICI MEI; VT SI TACVERO, REVS, SI RESPONDERO INIMICVS IVDICER; DVRA VTRAQVE CONDITIO: SED E DVOBVS ELIGAM, QVOD LEVIVS EST.

S. Thom. opuſ. contra imp. Rel. c. 13.

OSTENDITVR PLVS SE DILIGERE, QVAM VERITATEM, QVI VERITATIS ADVERSARIIS NON RESISTIT, VT SIBI PACEM QVAERAT.

Digitized by Google

APOLOGIA PRO EPISTOLA B· M· VIRGINIS AD MESSANENSES SCRIPTA

ADVERSVS ROCCHVM PIRRVM,

AVTHORE

BENEDICTO SALVAGO.

POteras me, Rocche Pirre, & hoc onere alijs intentum ſubleuare, & tibi maiorem gratiam, authoritatemq; apud ſapientes ex tuis Notitijs qualeſcunq; eæ ſint, conciliare, niſi pietatem Meſſanenſi, quando pietas, vel vultu ſolo interdum grauiſsimè laeditur, ſcriptis virulentis acerbè vulnerare attentaſſes. Quid verò te coëgit, tam diſsimilem eſſe bonorum, qui quod ſibi non nocet, alijs verò etiam prodeſt, intactum eſſe ſinunt, immo praecipiunt. An vt veritatem inquireres, religioni conſultum velles? ſed profectò nimium tibi aſſumis, ac praeſumis: expediebat verò eam in Notitijs tuis diligentiùs conſectari, ab ijs verò quorum tua non intereſt abſtinere, aut quae ſupra tuum ſunt

captum moderatiùs attrectare. Cæterùm qua fide in Notitijs verſatus ſis, eſt, qui propediem ſit oſtenſurus, & te criminis falſi poſtulaturus, vt diſcas in poſterũ longè aliud eſſe, ſcribere ad poſterorum vtilitatem, & falſe exſcribere in publicae fidei detrimentum. Quod huc ſpectat, demirari nequeo, eò te prouectum eſſe (mitiſsimè dicam) audaciae, vt cùm argumentum Epiſtolæ B. V. ad Meſſanenſes datae Romae diſceptari non neſcires, in eaque cauſa Melchiorem Inchoferũ ibidem verſari, & librum eiuſdem à Sacra Cardinalium Congregatione, longo (vt tu ſcribis) examine dignum cenſitum eſſe, tu tamen non expectato Romano iudicio ſententiam praecipitares, neq; ſolùm, ſed etiam de ijs, quæ Romæ acta ſunt, non obſcurè ad calcẽ tui libri iudiciũ te laturum promittere videaris. Quamquã ſi haec non eſſent, qua fronte tamen Virum Religioſum, pietate, & eruditione inſignem, quod nec tu diffiteris, quique in te nunquam iniurius extitit, non ſolùm laceſſere, ſed etiam verbo atroci proſcindere audeas, cùm inter alia eum ſuo ſcripto *malis artibus* ſibi gloriam comparare voluiſſe impudenter obgannias: quod dictum niſi ego moribus tuis adſcribam, te certè ab ignorantia minimè vindicarim, vt qui in Theologicis ieiunè, in Iuris ſcientia parum, aut nihil ſapias, quid ſit malis artibus aliquidpiam facere minimè intelligas. Verùm ne ego exemplo tuo, non more meo prius aliquid in te conijciam, breuiter ad ſingula, quæ huc ſpectant à te allata reſpondebo, non quòd ea digna reſponſione cenſeam, ſed vt te ad te ipſum reducam, ne apud minus ſapientes, aliud præter quàm es, videaris eſſe.

§. II,

ITaque initio diſſertationis tuæ, de hac Epiſtola magnæ molis negotium videri vis ſuſcipere, vt quid ſentiendum ſit, in medium afferas, quaſi te Orbis arbitrum legiſſet, &

non

non alij te meliores iam pridem, quid hactenus in argumento grauiſsimo dici poſſet, prudenter ſtatuiſſent. Diu, multumque te deſudaſſe ais, in eruendis ijs, quæ ad Meſſanenſis Eccleſiæ decus, atque ornamentum faciunt, & hactenus in hominum obliuione, vel mendaciorum ſqualore iacuerunt; *Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.* Quis te quæſo ad tantum laborem exantlandum conduxit, vt & vecors, & imprudens (tua verba vſurpo) exiſtimareris, nec modò operam, oleumque perdere, ſed Meſſanenſium omnium inuidiam in te vnum concitare volueris. *Neceſſitas* ais, *& Veritas*. Illa ſanè moleſtis ſuis imperijs iuſsit, ne ab hac ſcriptione deflecteres, ſua hæc amica integritate monuit, ne quid in hac re diſsimulationis imprudenter obreperet. Videamus primùm, quæ tanta fuerit neceſsitas, quæ ſuo à te clypeo defendit inuidiā, ne quæſtionem iſtam per vim intruſiſſe in tuas Notitias videare. Etenim ais, *cùm tria ſint in narratione iſta, quam in examen voco; Pauli Apoſtoli prædicatio Meſsanæ habita; primi Epiſcopi inſtitutio; ac ſuſcepta ad Deiparam legatio, eiuſdemque Litteræ, eaque adeò ſint implicita, vt qui Deiparæ epiſtolam recipiat, cetera quoque eadem animi conſenſione vera eſſe fateri neceſſe ſit, à me profectò, qui Meſſanenſis præſulatus originem, & Antiſtitum ſeriem dare promiſi, præteriri non potuit de ea Epiſtola diſceptatio.* Hæc tu ais Pirre. In vno porrò crimine, multis teneris. Scripſit Franciſcus Maurolycus de Pauli prædicatione; ſcripſit & Albertus Piccolus, ſcripſerunt, & alij Hiſtoriæ Siculæ Authores, qui tamen Epiſtolæ huius paucis meminere, quòd ea res longiorem diſputationem requireret. Id tu ex Inchofero, ſi ſyncerè legiſſes, diſcere poteras. Non nego poſſe ex Pauli prædicatione, ex primi item Epiſcopi inſtitutione digreſsionem fieri ad tractandam Epiſtolae narrationem, hanc tamen ita eſſe connexam cum Epiſtola B. V. quaſi differri, aut intermitti nequeat, nemo prudens dixerit; & qui dialecticam, vel à primo limine ſalutauit, facilè perſpiciet, an hæc inter ſe conuertantur, vt alterum ex altero ſim-

plici, & neceſſaria, vel conſecutione ex accidenti conſequatur, quaſi verò Pauli prædicatio, primi Epiſcopi à Paulo inſtitutio, Antiſtitum ſeries, narrari abſque excuſſa B.V. in probrum Epiſtola minimè potuiſſet, ſcilicet de clypeo dici non poterat, niſi Mineruæ hiſtoria indignè tractaretur.

Rectè ij quidem fecerunt, qui de hac Epiſtola ſingulatim diſſerentes, cetera quoq; cũ his ex occaſione connexa pertractarunt: ſed his illud inſtituti fuit, ne quicquam præterirent, vnde ad religionem ſtabiliendam acceſsio fieret, pauci verò ad tractationem primi Meſſanenſis Epiſcopi ex hac Epiſtola deſcenderunt; tui muneris cùm eſſet, Antiſtitum ſeriem pandere, quid neceſſe erat ad Epiſtolam inuidioſo calamo deflectere, vnde hæc ſeries minimè petebatur. At (inquies) in hac Epiſtola habetur Meſſanenſes Pauli Apoſtoli praedicatione mediante ad fidẽ conuerſos. Quid tum? ante datam Epiſtolam, iam conuerſi erant; nec conuerſionis atteſtatio neceſſariò inde repetitur, poterat igitur & hæc tua diſſertatio inuidiam circumire, aut ſaltem verbo hanc Epiſtolam inſinuare, eo maximè tempore, quo cùm Romæ de libro Inchoferi inquireretur, prudentia ſuaſit minimè indulgendum eſſe exulcerato affectui, & à ſanctiori conſilio expectandum, quid multorum pietati congruum foret.

Erras igitur Rocche Pirre, dum à tuis ſcriptiunculis ſeiungi hanc tractationem minimè potuiſſe dicis. Erras dum cetera omnia hinc lucem haurire putas. Erras dum iure hanc diſceptationem à te præteriri non potuiſſe contendis, quando iure tacere debuiſſes, ne nimis audax, & temerarius videreris, ad arbitrium tuum vocando, quod ad Iudicium Romanum deuolutum erat, & iam ab Hiſpaniarum Tribunali permiſſum; hæc tua verba temeritatis te damnant, *Eò magis huic tractationi illigari me ſentio, quò magis de his Deiparæ literis percrebuit concertatio*: Sciebas nimirum, quid Romæ ageretur, quid in Hiſpanijs actum fuiſſet, nec tamen continuiſti, ne diſsimulando minus faceres, quàm calumniando,

ando, & contra ſanctiora tribunalia etiam audendo, quæ tua in tuis Notitijs eſt notiſsima licentia, videri poſſes.

§. III.

SEd videamus, quæ te veritas vrgere non deſtitit, quae patrocinium ſpopondit ſuum, non ſolùm ad infringendos momorum impetus, ſed etiam aduerſus pietatem. Neſcio quos tu hic momos voces, quod nomen rectiùs in impugnatores, quàm defenſores cadit. Sed rectè quidem tu, & tui ſimiles aduerſus pietatem; quando etiam de internis hominum cogitationibus, quorum cognitio hactenus ſoli Deo credita eſt, iudicium arrogaris, ſcilicet author es Notitiarum. Verùm hæc poſtea: nunc de Veritate: Veritatem tu eam appellas opinionẽ, quæ tibi rationum momenta perpendenti vera videtur. Neſcio quàm haec Philoſophicè, aut Theologicè dicantur, ne tamen te torqueam, tantũ aio, ſi Veritas apud te opinio eſt, certè Veritas Epiſtolae B.V. apud te ſummo loco ſtare debet; ſed nimirum animaduerto, non quamuis opinionem vocas veritatem, ſed quae tibi rationum momenta perpendenti vera videtur. Tibi videlicet, non alijs. En arbitrium veritatis! Tibi inquam, ſed rationum momenta perpendenti; ò afflictam Veritatem, quæ ex tua conſideratione, & iudicio pendeat! Vidimus ſanè, quàm præclarè expendiſti veritatem in tuis Notitijs in peruertendis Pontificijs, & Regijs diplomatibus, in traducenda Regiæ prærogatiuæ dignitate, in non paucis alijs. Sed hæc alius in loco, ne in alienã meſſem falcem immittam: inferius tamen leuiora quædam attingam, ne fortaſſe conquerare. Interim nolim te tuis rationum momentis nimium inniti, ne altiora te quæras, & ſenſu euaneſcas. Præſtabat verò te aduerſus pietatem, & religionem Meſſanenſium nihil moliri, quam nunquam demoliri poſſes, præſtabat eorum conſilia ſequi, qui ſuggerebant eam

opinionem

opinionem nemini damno eſſe poſſe, ſed honori eſſe pluribus, & ad Meſſanenſium religionem fouendam, & pietatem erga Deiparam promouendam facere, id tu ex Petro Caniſio viro grauiſsimo, ſimul ac doctiſsimo diſcere poteras, id ex Ioanne Chartagena, quem non integrè referſ, id ex Franciſco Biuario, aliJſque compluribus, quos laudat Inchofer, ſi ſenſum pietatis habes, accipere poteras.

Verùm quid tu aduerſus iſtos? *Fucata*, ais, *pietas eſt, quæ cum veritate amica non iungit fœdera? at magna enimuero infamiæ nota pietati inuritur, ſi mendacijs magis, quàm veritate adoleſcere credatur; vitiorum eſt, non virtutis pigmentis ad deceptionem illini. ſuus eſt virtuti color, non mentitus, non emendicatus*. Hæc tu dicis, ſed nempe fucata pietas eſt, quæ tibi rationum momenta expendenti, ſed rationes non ſoluenti non arridet: fucata eſt, quam tu fucis tuis illinis, & argumenta militantia, quæ tibi laborem faceſſunt, velut pauidus miles turpi fuga declinas, leuia quædam, & ad plauſum populi deducta, quæ nec ſui authores magnifaciunt in theatrum effers. Rectè quidem dicis, magnam infamiam inuri pietati, ſi mendacijs magis, quàm veritate adoleſcere credatur: vnde verò hæc in Epiſtolæ religionem deriues, adhuc non video, niſi fortè quia in varias narrationes circa eandem, magis, minuſue probabiles opiniones, interdum coniecturas falſas admixtas offendas. Verùm hic tu multipliciter peccas, Primò, quia cùm Theologus videris, inter falſum, & mendacium diſcrimen ignoras: deinde, quia pluribus veritatibus citra religionem illudis, quarum origines, & cauſæ varijs diſceptationibus implicantur: multa tibi exempla eruditè ſuppeditat Inchofer, ex ijs abundè ſapere poteras: præterea ruunt vniuerſæ tuæ Notitiæ, quas obtrudis, quàm plurima enim falſa, vel, vt tu mauis, mendacia complectuntur. Denique quod tibi non ſemel obiecturus ſum, grauiſsimè, & impudentiſsimè impingis in ſacra Tribunalia, ſiue Romanum ſupremum, ſiue Hiſpanum ſpectes; ab vtroque enim hæc pietas religio-

ni

ni Meſſanenſium permiſſa, nullam prorſus nótam, ſed potiùs gratiam retulit: tu iudicium tuum afflictiſsimum his oppones? obgannire audeas? taciè ſugillare? caue Iouis fulmina, in te prouoces, noſti nimiam audaciam fulmine, & rotis expiatam.

Demum, vt diſſertationis tuæ ingreſſum concludas, *admoueam* (inquis) *manus, quas neceſſitas continet, veritas firmat, Scribam de his literis, quas ſcripſiſſe dicitur ad Meſſanenſes Deipara, ſed breuitati ſtudebo, vt ad hiſtoria partes ſtatim redeam.* Neſcio quam haec grammaticè: video tamen te praecepta hiſtoriae, & differentiam à reliquis ſcriptorum generibus non callere, qui in compilationibus tabularum te hiſtoricum fateri velis, quàm tabellarium, aut actuarium exceptorem.

§. IV.

PErgis. *Scripſere plurimi de hoc argumento in vtramque partem, quos ſingulatim infra cap. xj. recenſebo, vt quid momenti ad hanc rem afferat, cuiuſque ſcriptoris authoritas lector facilè dignoſcat.* Promittis, ſed fidem non exoluis; ex omnibus enim authoribus, quos Inchofer ſumma fide adducit, paucos admodum recitas, eoſque claudos, mancos, & mutilos, quatenus à te faciunt, ſi tamen faciunt. Siccine tu rationum momenta expendis? ſiccine lectori imponis? religioni illudis? Quid feceris in Notitijs tuis ab antiquitate repetitis, ſi in recentioribus, & ob oculos omnium poſitis veritatem fallis? Addis, *inter omnes, qui pro datis literis decertant, vnus excellit Melchior Inchofer è Societate Ieſu*: rectè, ſed neque ille palmã omnibus, qui ſcripturi ſunt, praeripit, non tantum ſibi arrogat: conatus eſt pro pietate certare, neque tamen alijs in opinandi latitudine praeſcribere. Quid ille de ſe ſentiat, quàm humiliter, & penè abiectè, norunt, qui eius lucubrationes oculis terſis legerunt.

Incho-

Digitized by Google

Inchoferum duodecim annos Meſſanae degiſſe, ſi de ſolidis annis agas, rectè, ſi omne tempus complectaris, falſò: paruus error, ſed qui te oſtendat nimis facilem in ſcribendo, qui enim computaris annos B. V. excedentes, ſi in paucioribus, & notioribus fallas? qui in tuis Noticijs rectè abſque parachroniſmis verſeris? qui aliorum putationes exactas, & ab antiquo repetitas ad calculum reuocaris?

Plura deinde narras inuoluta, perperam abſq; conſideratione literas ab Inchofero ad Georgiũ Gualtherum datas, quibus de Epiſtola B. V. ageret, diſsimulas tamen, eas ab ipſomet Gualthero expetitas; nam cum his antiquas Siciliae tabulas conderet, & huius Epiſtolae memoriam notare vellet, nec alijs intento integrum ad eum examinandum laborem afferre liceret, ſententiam quaeſiuit, quod mallet in re grauiſsima *viri Sacræ Hiſtoriæ peritiſſimi*, vt ait, quàm ſuũ interponere iudicium: hæc tu ex praefatione Inchoferiani libri ad lectorẽ diſcere poteras, niſi maluiſſes animo tuo, quã veritati indulgere, grauiora ſunt, quae ſequuntur; *hanc enim rationẽ ſuſcepiſse, quod grati animi ſignificationẽ præ ſe ferre, & populi Meſsanenſis gratiam ſibi conciliare neceſse erat, Collegio Meſsanenſi Societatis Ieſu, quod in ſtudiorum vniuerſitatem Senatores Societatem admiſerant, &c. Inde plurium Meſsanenſium animos irritatos, quod priuatæ rationes plerunque publicas anteuertunt, &c. Ergo Inchoferum conuenere plurimi, tempus opportunum edendæ diſsertationi de Virginali Epiſtola oſtentare, & egregium operæ pretium futurum aſserere, Meſsanenſem populum ſi quem aliud* (alium, ni fallor, vis dicere) *ad ſuarum laudum encomia iras deponere, ac manſueſcere, cetera ſine modo efferri, & obloqui ferè ad inſaniam,* (quae tamen vltima verba metu, an moderatione induxiſti?) *ſi quid per iniuriam ſibi obueniſse ſuſpicetur: & adeò feſtinatum eſt, vt poteſtatem à R. P. Mutio Vitelleſco Præpoſito Generali Societatis Ieſu exorarint prælo ſubijciendi per Inchoferum ea, quæ nondum chartis intulerat, vt ipſe Inchofer loquitur. &c.* Haec ex tuis, Rocche Pirre, in quibus ſi mihi tua,

tua, tuique ſimilium licentia ſcribendum eſſet, conuitijſque agendum, dicerem tot eſſe mendacia, quot ferè verba. Mitius agam, & tantum aio hinc elucere, quæ fides tuis narrationibus ſit habenda de antiquitate, vbi de præſentibus tam inconſultè, imò tam audacter, & proiectè falſa ſcribere nō verearis. Quid quæſo hoc genij, tibi, tuiq; ſimilibus tam familiaris, non modò aliorum ſcripta perperam adducere, peius interpretari, ſed planè peruertere, falſò connectere, omninò contra leges deprauare, falſificare.

Falſum inprimis eſt eà occaſione ſcripſiſſe Inchoferum: ſed quòd diu ante promiſerat, ſi à lectione Theologica vacare licuiſſet, tum demum hortatu multorum, ſed præcipuè Senatus Meſſanenſis, inter maximas quamuis occupationes chartis intulerat, eòque magis properandum fuit, quòd Senatorijs nominibus (antequam annus laberetur) librum inſignitum eſſe oportebat, non, vt tu comminiſceris, ad gratiam populi Meſſanenſis conciliandam, quà tunc Collegium Societatis minimè opus habebat. Dixiſſes ſaltem aliquid concinnè ad gratiam Senatui referendam; ſed neq; id agebatur, quomodo enim à Senatu ipſo ad id impelleretur, vt hanc ſibi gratiam illicò redditam vellet? & tamen conſtat ex illa præfatione Inchoferi ad lectorem ſe à Senatoribus ipſis in vota impulſum.

Falſum deinde eſt, quo tempore Societatem Senatores in Vniuerſitatem admiſerant, plurium Meſſanenſium animos irritatos, vt ad eos ſedandos opus eſſet Inchoferiano libro, & ſat notum, Inchoferum triennio antequam reliqua Societas in Vniuerſitatem fuiſſet admiſſa, votis, & ſuffragijs omnium Meſſanenſium publicis, tabuliſque in eam rem confectis, impetrata à P. Generali facultate, lectum fuiſſe Matheſi docendæ anteſignanum, cùm nihil adhuc de libro edendo cogitaſſet, diſtuliſſe tamen tum id prouinciæ cùm alijs de cauſis, tum quòd in Collegio ſuæ Societatis Theologiæ docendæ operam addixiſſet.

Falſum adhuc eſt, quòd tu contra bonos mores ad velli-

candos Meſſanenſium animos inconſideratè effutis. *Inchoferum conuenere plurimi, tempus opportunum edendæ diſſertationis de Virginali Epiſtola oſtentare, & egregium operæ pretium futurum aſſerere Meſſanenſem populum, ſi quem alium ad laudum ſuarum encomia iras deponere, ac manſueſcere, cetera ſine modo efferri, & obloqui. etc.* Falſum inquam eſt, nequid amplius pro tuo more dicam, Nam quo tempore quidam aduerſari cœperunt, iam liber editus erat, & Inchofer Romæ verſabatur in tuenda cauſa, Iam pridem fuerat, quando ipſum Meſſanæ conuenere plurimi amici primùm, deinde qui noſſent, mox nobiliores accenſi, denique Senatores ipſi, quemadmodum ex ſæpè laudata præfatione Inchoferiana liquet: qui tamen Senatores antequam Inchofer Romam profectus fuiſſet, prouincia deceſſerant. En quàm multis fidem tuam implicas Pirre. Cœperunt nonnulli, deinde etiam ex Senatoribus aduerſari, non ijs de cauſis, quas tu perperam affingis, ſed quia cum Generali Societatis Ieſu tranſigi non potuit, hoc flagitante Senatu, vt cum magiſtris diſcipuli quoque Societatis Vniuerſitatem frequentarent, qua in re Præpoſitus Generalis, maioris vt ferebatur, diſciplinæ ſeruandæ gratia, difficilem ſe præbuit, contentus ceterà ſi ſoli magiſtri docendi cauſa adijſſent. Hæc cauſa eſt diſceſsionis factæ, non ea, quàm tu inſubidè comminiſceris, proinde non erat neceſſe iras populi tumentis, & propria commoda ſpectantis ſedare, ſed ex æquo rem pro iure partium componere. Et ferebatur non paucos Panormi adlaboraſſe cum Generali Præpoſito Societatis, ne in rem alioqui à Societatis inſtituto minimè alienā, conſentiret, ductos quibuſdam ſtimulis: qui etiam plurimos ibidem ſubiuiſſe crediti ſunt, cùm in prouincijs Societatis rurſum coniungendis apud eundem Generalem Præpoſitum deſudarent: ſed hæc famæ danda.

En verò in quantis erras Rocche, quàm prodigus es fidei tuæ, parum, vt tibi credatur in dubijs Notitijs, quando vel ea, quæ ob oculos ſunt, quæ, inquam, in præfatione

Incho-

ferîana leguntur, depravas, perverſe interpretatis, tempora confundis, ſententias perperam connectis, quaſi idcirco feſtinatum ſit in poteſtate à P. Præpoſito Generali Societatis exoranda pro libro Inchoferi edendo, vt Meſſanenſis Populus ad ſuarum laudum encomia iras deponeret, ac mã ſueſceret. Ita ne verſari didiciſti in tuis Notitijs, an huiuſmodi ſcribendi morem ab ijs accepiſti; quibus è religione eſt ſcripturas ſuo ſenſu vertere, & verſa truncare, ac delumbare, ad ſuum genium interpretari? neque enim puto te exiſtimaſſe librum Inchoferi nunquam ad lucem rediturũ, quando poſt, lucem aſpexiſſe, vt infra videbimus, tu te ipſe non diffiteris. An fortaſſe latinitatem tuã ſublimiorem non intelligebas: neque id adſcribo, quamquam non neſciam fuiſſe non paucos viros doctiſsimos, qui in libro Inchoferiano multa ab æmulis notata affirmarent ignoratione ſublimioris latinitatis, niſi nimio contradicendi affectu abducti fuerint.

§. V.

POſt multa, hæc te attuliſſe ſcribis, *vt non modò occaſionem ſcribendi Inchofero datam agnoſcat lector, ſed duo ſtatim in veſtibulo præcipiat. Primum, pleriſque Inchoferi dictis fidem adhibendam, ſcripſit enim vir bonis artibus, & pietate exultus inter ſocios degens & amore Virginis*, & poſt nonnulla ſic ais. *Quænam ſunt in Inchoferiano libro, quibus adhibenda eſt fides, iudicium lectoris eſto, ex ijs, quæ ego illi credo, nonnulla mox afferam cap. iij.* Alterum, quod præcipere lectorem vis, illud eſt, *facile in eo ſcribendi calore fuiſſe, vt multa Inchofero exciderent, quæ ſi animus deferbuiſſet, inducta ſpongia ex ſuo libello, qua eſt eruditione, & pietate procul dubio deleuiſſet.* Hæc tu.

Admitto pleriſque dictis Inchoferi fidem adhibendam, ſed pleriſque non vt à te relatis; fidei quippe tuæ illudis, id

Digitized by Google

ex ſuperiori §. didiciſti, diſces vberius ex dicendis. Addo tamen præterea, quæ de occaſione ſcribendi ſibi oblata Inchofer narrat, eum nolle fidem aliorum eatenus ſibi adſtrictam, vt citra religionem aliò deflecti nequeat, dum religio Meſſanenſiũ ſalua permaneat. Hanc ipſe modeſtiam nõ ſemel in ſuo libro prætulit; quin verò nihil difficultatis diſſimulauit, pugnantes opiniones detexit, preſsit, plura explicare cõciliare ſtuduit, rationibus interdũ, interdum coniecturis, quà propius iretur ad veritatẽ, inceſsit; nihil ceteris præſcripſit, ſi qua meliori ratione, aut magis expedita via cõtendere vellẽt, vt ipſe loquitur, ad caput veri. Quod ſi alicubi errauit, hominem ſe eſſe non neſcit, acturus gratias, ſi à fideli, & candido monitore reuocaretur, hoc ſonant illa eius verba ferè initio libri ex S. Auguſtino vſurpata. *Non pigebit me, ſicubi hæſito quærere, nec pudebit, ſicubi erro diſcere. Proinde quiſquis hæc legit, vbi pariter certus eſt, pergat mecum, vbi pariter hæſitat, quærat mecum, vbi errorem ſuum cognoſcit, redeat ad me, vbi meum reuocet me.* Quæ ſi perpendiſſent nonnulli, non tam obliquè eius ſcribendi intentionem interpretati, exulceratis animis indulſiſſent, nec in peiorem partem dicta accepiſſent, ſed grauiter, doctè, ac prudenter, ſi quid graue ipſis videbatur, expoſtulaſſent, reſpõdiſſent ingenioſa cõcertatione, nõ conuitioſa temulentia decreuiſſent.

Quòd ais Inchoferum ſcripſiſſe, *virum bonis artibus, & pietate excultum*, rectè ſemel dicis; ſed nimium citò factus tibi diſsimilis, in conuicia prorumpis, dum *malis artibus gloriam ſibi comparare voluiſſe* effutis. Debebas tui ſaltem meminiſſe, ne inconſideratè tibi ipſi contradiceres, & cogitare, non eſſe præſumendũ apud ſapientes malis artibus ſcribere, eum virum, quem bonæ artes, & pietas ipſis teſtibus commendaſſent. An te ex horum numero exemptum velis? ſentio verò & te in ſcribendi calore fuiſſe, vt multa tibi exciderent, quæ ſi animus deferbuiſſet inducta ſpongia ex tuo libello procul dubio deleuiſſes, quemadmodum & illa, quæ alibi dixiſti (*ferè ad inſaniam*) expunxiſti, niſi pru-

dentior

dentior alius id præſtiterit. *Sed* quænam, quæſo, ſunt illæ, quæ in eo calore ſcribendi Inchofero exciderunt ſpongia delenda, ſi animus deferbuiſſet. *Exciderunt*, ais, *profectò multa eiuſmodi, etenim vt prætercam temerè obtruſas, cum nec res, nec locus requireret Meſſanenſium prærogatiuarum exaggerationes, quæ vel in turpẽ aſſentationem, vel vt nonnullis videtur in irriſionem euadunt: illud planè non ſatis intelligo, cur Pauormitanæ Vrbis ſplendorem offuſcare, illius gloriam, atque laudem modò apertè oppugnare, modò ſubobſcurè perſtringere voluerit.* Hæc tua.

Vt reſpondeam, præmitto me non ſemel ex Inchofero accepiſſe, multa ſe in librum varijs digreſsionibus interſeruiſſe, tametſi fortaſſe non neceſſariò pertinentia ad inſtitutum, neque tamen ita ſeiuncta, aut longè petita, vt apud æquos arbitros minimè ſtare poſſe videretur. Feciſſe verò id, quo tẽpore ex Germania, alijſq; locis literas expectabat, ne prælo iam prioribus typo mandatis occupatio deeſſet, quoad cetera ſequerentur, fieretque & temporis, & operæ diſpendium pœnitendum. In ijs verò interuallis adhibuiſſe ſe, quæ ad Meſſanenſium prærogatiuas ſpectant (an verò de Ilij excidio, aut Thebis conditis dicendum erat) ſine cuiuſquam iniuria, temperaturum alioqui, ſi vel in re licita minimum alios offendendos crediſſet. Certè neque ego tibi iure indignarer in hac diſſertatione Epiſtolæ, quãquam minimè cum tuis Notitijs connexa, imò longiùs, & obliquè petita, ſi cetera abſtinens fuiſſes. Ceterùm, ſi cuiquam eæ Meſſanenſium laudes ſtomachum nonnihil mouerint, vt tu ipſe fateris, concoqui poterant, & excuſationem facilè reperire apud ſapientes: quid ergo neceſsũ erat, ſi Superi flecti nequirent, Acheronta mouere? tot bella ſuſcitare? Quin ſi eæ exaggerationes in irriſionem euadunt, vt nonnullis videri dicis, rideant, quantum ſatis, non conuitientur, rideas & ipſe, vel riſu Heliogabali, vt ſolus in Theatro audiaris. Quid inde? Quis tuo Franciſco Baroni (vt ipſe ſe ſpecioſo vocabulo appellat Baronio) ſuccenſuit, cùm

nuper

nuper operoſo illo volumine, cuius margo ferè corpus æquabat, quò maius videretur, de maieſtate Panormitana ad nauſeam omnium, penè ad vomitum decantaret, minutas quaſque familiarum quiquilias, vel ad pigmentarios complexus, omnia ad maieſtatem reuocans, quæ etiam diminutionem arguerent. Riſere multi in Vrbe infantiam, aſſentationes penè paraſiticas, parachroniſmos, conſecutiones minimè cohærentes, exaggerationes odioſas, & inuidioſas, vbi non ſemel Panormum norma, & exemplum fidei compellat (ſcilicet Roma non erit poſthac fidei magiſtra) multis paginis, Gallorum in Sicilia internecionem, Panormitanorũ ſtudio, & armis patratã, inculcat, vnde ferè præcipuè Panormitanorum prærogatiuas repetit; ac vt reprehendit Meſſanenſium deſidiã, quaſi tardiores ad excidium Gallorũ fuerint, ita laudat Panormitanos, quaſi hac grata famæ victima immortale ſibi nomen compararint; taceo quàm plurimas nugas, quarum vna eſt Reginae Conſtantiae lacte, dum curru Panormum veheretur vicos ciuitatis inſperſos, in atteſtationem credas recens editi, nec ſuppoſititij partus: & tamen nemo ſuccenſuit homini adulanti, & ſua conquiſitis vndique coloribus, etiam apparentibus, perpingenti. Riſerunt verò plurimi, vbi toties in probrum Meſſanenſium vertit capitis praerogatiuam. Riſerunt, & Meſſanenſes, indulgendumq; duxerunt hominis aegritudini, hydropiſim laudum dixiſſes, qua, *quo plus ſunt poea, plus ſitiuntur aquae*, inanium videlicet laudum, & arrogantiae. Riſerunt tantũ lactis ex faemineis mammillis profluuium, quas pleriq; vtribus Aſiaticis quingentarum heminarum comparari poſſe crediderunt. Quid hoc monſtri? ſcilicet habet & haec fabuloſitas ſuos authores. Riſerunt denique plurimum, vbi in interpretatione capitis, *Quod translationem de offic. legat.* aduerterunt eum turpiter impegiſſe, qui aliquando Alberto Piccolo viro (quod & tu fateris) erudito, & latinè peroptimè gnaro, grammaticum errorem, grammaticae non adeò gnarus obtruſiſſet, tuo ere

diderim

diderim exemplo errauit egregius interpres; nam & tu in Notitijs Panormitanæ Eccleſiæ, ſed peius in eundem lapidem offendiſti, malè, opinor doctus à tuo Littara, quod ego quidem infra, ſi locus erit breuibus, pluribus alij alio loco ſunt oſtenſuri. Ecquis tamen vobis, hoc propter, iras, & minas intendit, ecquis niſi riſu, & cachinnis dicta, non animos veſtros caſtigauit? Quin verò nemo de hac re quicquam ſcripſiſſet, verbis duntaxat, & animorum recreationi dediſſet intra domeſticos parietes, niſi vos vltrò prouocaretis.

§. VI.

S*Ed nimirum non ſatis intelligo, cur Panormitanæ Vrbis ſplendorem offuſcare, atque laudes modo apertè oppugnare, modò ſuboſcurè perſtringere voluerit.* Verùm ſi ex his arguendum eſſet, non vnum mihi ius tecum, & cum tui ſimilibus expoſtulandi oborirɛtur. Tu tamen interea non affers aut verba, aut loca, quibus Inchoferum in crimen voces. Afferam ego nonnulla, ſi rectè memini, & fortaſſe præcipua capita ex Franciſco Barone, & ex ijs, quae Romae iactata accepi, vnde omnem vniuerſi procellam in Inchoferum ingruiſſe crediderunt.

Primum eſt, quod diuam Roſaliam Panormi natam, vel vt Martyrologium Romanum intulit, virginem Panormitanam Bisbonenſium ciuem affirmarit. Scilicet vbi Inchofer nonnulla de laudibus Diuæ, ſolita ſtyli elegantia dixiſſet, hac per parentheſin inſeruit (*quam Bisbonenſes ſuam ciuem eſſe contendunt.*) Acceperat enimuerò quorundam Panormi degentium literis controuerti de ſolo natali Roſaliae, multis in vtramque partem adductis, quibus alij Panormi, alij Bisbonæ natam aſſererent, ac tum quidem vtriuſque partis momenta perpendenti, verius viſum Bisbonae natam, neque tamen ijs attribuendam ob ſingularia in Panor-

mitanos, peſte laborantes, Diuæ merita, ſine moderatione cenſuit, cùm pro re ſua maluiſſet eſſe, quàm haberi tantùm Panormitanam, eà propter dixit, *quam Bisbonenſes ſuam eſſe contendunt*, nolens ablatam Panormitanis quoquo tandem iure Bisbonenſes contenderent, ad quorum ſententiam ſi acceſsiſſet, poterat verbo facilè dicere: quam Bisbonenſes meritò, vel iure ſuam eſſe contendunt, quod tamen non dixit, ſed vt ſuam Panormitanis prætenſam prærogatiuam ſeruaret, abſque vlla aſſertione, duntaxat enunciauit, *Quam Bisbonenſes ſuam eſſe contendunt*. Qua in re quid peccatum ſit, iudicio ſapientium decernatur. Certè ſi haec verba. *Quam Bisbonenſes ſuam ciuem eſſe contendunt*, eum ſenſum habent, vt ijs omninò Bisbonae nata cenſeatur: quo ſenſu efferenda ſunt illa Breuiarij Romani dicta de S. Agatha, *quam Panormitani, & Catanenſes ciuem ſuam eſſe dicunt*, me penitus fugit: niſi vt iam dicamus, Breuiarium Romanum neutris Agatham adiudicaſſe, aut vtriſque; vt iam hic requiratur iudicium, aut gladius Salomonis, ſi non ſuo ſenſu dicta explicentur.

Quo loco non præteribo, Inchoferum ſtatim ac primum intellexit, grauiter id dictum Panormi latum, ſponte emendaſſe, & in pleriſque exemplaribus, præter pauca, quae diſtracta fuerant, paginam recudendam curaſſe: ſcripſit etiam Panormum, quod etiam Franciſcus Baroni fatetur, ne ſibi id vitio vertant, non ſe malo animo, ſed potiùs ſtudio Panormitanorum ea ratione locutum: dicturum etiam, ſi luberet, alia placentia. Omnium iudicio ſatis erat, apud quãtumuis efferatos, talis viri ſpontanea ſubmiſsio, teſtis ſynceritatis, candoris, & beneuolentiae in Panormitanos. Et non defuere, qui ſuaderent more Magnorum, defendendam eſſe ſententiã, cuius contraria nequicquam adhuc pateret. Fuere etiam, qui Bisbonæ egregias rationes ſuppeditarent, ſed vicit apud religioſum virum aemulatio chariſmatum meliorum, temperauit & Martyrologij Romani reuerentia.

§. vij.

§. VII.

ALterum eſt, quod Inchofero crimini datum, Agatham videlicet Catanenſibus adſcriptam, Panormitanis ablatam, ſed hanc ſententiam ille examinandã haud ſuſcepit, plurium ſuffragia ſecutus eſt, cum germanico lacte imbibit Catanam Agathæ patriam, puer etiam balbutire didicit, de Panormo ſero tandem alia de cauſa inaudiuit. Septuaginta deinde, & duos authores in diuerſis bibliothecis eadem ſcribere vidit, ex his antiquos haud paucos, mediæ ætatis plures, recentiores reliquo numero. Inter omnes duo cum primis emicant: Diuus Vincentius Ferrerius Illuſtriſsimi Ordinis Prædicatorum, ſermone de B. Agatha, Diuuſque Antoninus florentiſsimæ vrbis Hetruriæ Præſul. Acceſsit feſta Catanenſium in colenda Agatha religio, Germanis etiam celebris, quam idcirco multis ante annis viſere cupijt; & tandem aliquando, Deo laus, viſit.

Agatham præterea vel energumenorũ confeſsione Catanenſem accepit, & legit. Id ſi minimè ſedet, boni Angoli teſtimonium quis repudiet? *Mentem ſanctam, ſpontaneam, honorem Deo, & Patriæ liberationem*: ita referunt tabulæ ad Diuæ monumentum repertæ. Cuius verò patriæ liberatio hic intelligatur, non eſt multis diſputandum. Huc facit & illud: *Noli offendere Patriam Agathæ, vltrix enim iniuriarum eſt*: vbi, quando, & quam Patriam vlta Agatha quis non nouit? Breuiarium Gallicanum Catanæ illam adſcripſit. Breuiarium Romanum non cogit in alterutram ſententiam, & plures poſt ſcriptores à Catanenſibus ſtetere, authoritatem fortaſſe ſequuti literarum Alexandri III. in quibus cum pallij geſtandi prærogatiua Catanenſem Eccleſiam donaret, ita praefatur. *Alexander Seruus Seruorum Dei, Ioanni Catanenſi Epiſcopo, & Abbati, eiuſque ſucceſſoribus canonicè inſtituendis in perpetuum. Sicut Beatiſſimi Pa-*

tris, & Doctoris elegantiſſimi Gregorij Primi ſcriptis edocemur, conſtat Eccleſia Catanenſis,*vbi Beata Agatha & orta, & paſſa eſt, ciuitatem Epiſcopalis dignitatis antiquitùs gloria floruiſſe* . Inchofer in altera libri editione Patriæ Agathæ non meminit ad redimendam opinor vexationem, ſatius ratus veritatem animo complecti, quàm rixari. Ego cum Philippo Ferrario eâdem ob cauſam ad ſummum dixerim,fieri potuiſſe, vt Panormi ſit nata, niſi magis moueat, quod in ſimili aduertit Inchofer in eruditiſsimis ſuis notis, omnibus municipibus duas eſſe patrias, alteram naturæ, ſeu loci, alteram ciuitatis, ſeu iuris.

§. VIII.

TErtium, de quo poſtulatus fuit Inchofer, eſt, quaſi dixerit Chriſtinam admirabilem Panormitanam eſſe, nempe abſtinentiſsimi alienorum, illudi ſibi exiſtimarunt, ſi alieno ſolo natam, & paſſam, & longo poſt tempore ad ſe delatam,tanquam ſuam ciuem venditantes, traducerentur; eòque magis, quòd nomen Chriſtinæ admirabilis, non in eam, quæ Tyri in Hetruria paſſa eſt, & hodie Panormi colitur, ſed in alteram, quæ in Germania, oppido Hasbonæ, vitæ ſanctitate, & muliplici ingentium cruciatuum, ac tormentorum diuinitùs permiſſorum perpeſsione mirabilis illuxit. Hinc Ilium malorum in Inchoferum.

Verba Inchoferi hæc ſunt. *Habet Catana ſuam Agatham, Syracuſa Luciam, Lilybaum Veneram, Mana Agrippinam, vt de ceteris taceam, Feliciſſima Panormus Chriſtinam admirabilem, &c.* Oro te per Deum, mi lector, quid hinc probro magis, quàm gloriæ vertat Panormus. Atque hic locus vnus eſt ex ijs, quem viri graues latinitatis ignoratione notatum dixere. Hinc ne colligas Chriſtinam Panormo ludo tribui, tanquam ibi natam, & quidem Chriſtinam Germanam, quaſi verò id Inchofer natione Germanus cõ-

ceſſerit

ceſſerit, quaſi verò & Panormitani, ſi ſibi ſimiles ſint, id rectè concluſum putent; nam ſi Agatham negent eſſe Catanenſem, etſi eam Catanenſibus attribui velint ab Inchofero, eadem ratione amouebunt à ſe Chriſtinam, aliaque ratione iudicabunt eſſe ſibi adſcriptam, non vt ciuem, ſed vt protectricem, & tutelarem, alioqui & Mœnenſes conquerantur iniuria ſibi tribui Agrippinam, quæ viuens Siciliam fortaſſe numquam vidit, nedum Mœnas. Sed neque vlli loco fas erit; quocunque tandem reſpectu, ſuum appellare Diuum, quem aliunde diuino dono accepit, & excepit.

Iam quod nonnulli venerit in mentem, ludi de Panormitanis, quaſi, quo affectu negatam ſibi Agatham illi ad ſe trahunt, eodem negatam ab ipſis Chriſtinam ironicè ab Inchofero vindicari, nimia ſubtilitas eſt, niſi mauis dicere hæbetudinem; quis enim vel ſacrarum hiſtoriarum elementarius ignoret, Chriſtinam Hasbonenſem Panormi non eſſe natam, quis idem de Tyrenſi neſciat, quam & tu ipſe ita Pirre in tua Notitia Panorm. Eccl. & alij Panormitani tecum Tyri ortam in Hetruria, ibidemque paſſam, tempore Hugonis tandem Panormitani Præſulis Panormum inuectam affirmatis.

Inchofero ludere de religione erga Sanctos non erat animus, nec Panormitanis ſua tollere, vel aliena adſcribere, quamquã ſi inquirere in hiſtoriã Diuæ Chriſtinæ ſtatuiſſet, à ſua eruditione non erat alienum certiora indagare, quàm à vobis tradantur; nouem ille Diuarum huius nominis vitas in ſuo manuſcripto complexus eſt. Franciſcus Baroni in ſuis vindic. Panorm. trium obuiarum ieiunè meminit: ex his verò de nulla, quod huc ſpectat, implicatior eſt controuerſia, quàm de Tyrenſi, quæ Panormi, vt vos dicitis & ego non diffiteor, habetur, & colitur. Certè plures doctiſsimi viri aliam putant eſſe Chriſtinam Tyrenſem, quæ & Vulſinia dicitur; aliam, quæ Panormi habetur, & colitur, de qua opinor dixiſſe Philippum Ferrarium lib. de Sanctis Italiæ 10. Maij. eſſe ſcilicet Virginem nobiliſsimam Panormi (vt

eius habet hiſtoria) natam. Quid ad hoc dicis Pirre? hunc ſi Inchofer ſequutus fuiſſet, an non rectè dixiſſet, habere Panormum ſuam ciuem Chriſtinam, Panormi ſcilicet natam, quæcunque tandem ea ſit, quam vos Tyrenſem eſſe vultis. Et miror te, Pirre, in tuis Notitijs, quòd maximè referebat, tam tenuem de Chriſtina ingerere notitiam, vt nihil certi ſtatuas, omnia dubia relinquas: hic meritò poteras, & debebas exerere calamum, & praeterire, quæ de Virginis Epiſtola intempeſtiuè tricas: ſatisfaciendum erat tot doctiſsimis viris, qui ſe nihil certi habere de Chriſtina conqueruntur. Inquire tabulas Eccleſ. Panorm. prode ſi quid habes, quouſq; ſuſpendis expectationem multorum, prodeat ſaltem diu expetita Octauij Caetani Sicula Sanctorum hiſtoria, qui dubio procul te meliora dabit, niſi fortaſſe tu huius depaſceris labores, & tua ſegete reddis trituram. Et ne me gratis loqui putes, quanta in Diuæ Chriſtinæ hiſtoria ſit confuſio, intellige ex Franciſco Maurolyco, Petro Galeſino, Petro de Antonijs, denique, innumeros mittam ex recentioribus, Philippo Ferrario. Ego ſanè neque horum dubijs adducor, vt vobis tollam Chriſtinam, quam ex corde veneror, eamque (niſi verius aliud appareat) Tyrenſem dico, & ſatis argumenti habeo, quòd vt Agatha Catanæ, ita Chriſtina Panormi ea feſta religione colitur, qua vix alibi. Hanc tamen eandem rogo patimini dici, ſi non mirabilem, ſaltem, vt dixit Inchofer, admirabilem, ne hoc honore careat Diua, quæ in exquiſito martyrij genere, vt altera Thecla planè admirabils fuit, ne hinc præiudicata opinio etiam in alios Sanctos, quos homines coſimus, deerret, vt iam ne vos offendamus, excellentiæ titulis illos defraudemus, quod meo quidem ſtomacho feciſſe videtur Inchofer, qui vt vobis miti animo conniueret, appellationem *admirabilis* expunxit, & eius loco *inſignem* repoſuit, nota ſanè non adeò ſingulari.

 §. IX.

§. IX.

QVarto loco exprobratum eſt Inchofero, quaſi dixerit, Diuam Roſaliam Meſſanæ priuſquam alibi in Sicilia, atque adeò in ipſa Panormo miraculis illuxiſſe. Verba Inchoferi ſunt. *Et nuper Roſalia non paſſa ſe concludi in hortis Panormitanis, longè quidem odorem morbis ſalutiferum per exteras etiam prouincias ſpirauit, ſed hic primùm in Reginæ Vrbe (Meſſanæ) factis eximijs gratiarum periculis, obſequentem iuſsis ſanctitatem, cumulatiſque prærogatiuis latius in Orbem exportauit, felicitatē Panormitanā propagauit.* Hæc ille.

Nequeo ſatis demirari, & retractare, vnde tam abſona interpretatio elici queat; neque enim omnia ad latinitatis ignorationem reducenda. Dederat Inchofer literas Viennam Auſtriæ ad quoſdam amicos, qui Vrbem graui peſte conflictari querebantur; ſuaſit ijs Diuam Roſaliam, præſens, & vnicum huic malo remedium implorarent, certiſsimam opem accepturi, quando & Panormitanis eadem lue grauius laborantibus nuper ipſa ſaluti fuit, quod ijſdem his verbis deinde in librum intulit. *Diua quoq; Roſalia multis ætatibus ignota, Panormi in lucem venit, & roſea ſuauiſſimi odoris aura tetram contagionem fugauit. Ciues Virgini caros fœda mortalitate liberauit, penè elangueſcentem Vrbis felicitatem ad meliorem priſtina velut floris dignitatem reuocauit.* Quid de Diua dignius, quid de Panormo honorificentius ſcribi potuit? Paruere amici Viennenſes, omnes Roſaliæ nomen ingeminare, cultum propagare, ſenſere opem in protectricem adoptare, id quod datis deinde literis Inchofero ſignificarunt, idemque ipſe Panormitanis gratulabundus binis literis perſcripſit, hac de cauſa dixit, *Diuam Roſaliam cumulatis prærogatiuis religionem latius in Orbem exportaſſe, felicitatem Panormitanam propagaſſe.* Hoc ne eſt aſſerere primum Meſſanæ miraculum à Diua patratum, &

non

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

non poſtquam Panormitanis profuiſſet, Meſſanæ quoque miraculis illam illuxiſſe, hoc enim ſonant illa verba. *Non paſſa ſe concludi in hortis Panormitanis*, hoc illa, *felicitatem Panormitanam propagauit.* ſi felicitatem Panormitanam, ergo prius Panormi, quam alibi, vbi & praeſentius periculum: neque enim adhuc alia loca peſtilentiam, vel ſaltem non adeò ſenſerant, Meſſanenſes verò nec ante, nec poſt paſsi ſunt: ſi propagauit, ergo non abſonè dicitur Meſſanae quoque miraculo, ſed in alio genere mali claruiſſe Roſaliam. Si demum ex literis Meſſanae datis eadem fama ad exteras etiam nationes peruagata eſt, & Diuae patrocinium ſalutare fuit, rectè dicitur Meſſanæ primùm, quatenus cum exteris nationibus, non verò cum Panormitanis fit comcomparatio, Roſalia virtutem probaſſe. Deus bone, vbinam gentium ſumus, vt iam latinè loqui eleganter, & metaphoras, ne non intelligamur, adhibere non audeamus: te ipſum appello, Littara, exurge, & argue eos, qui tam oſcitanter tuis laboribus grammaticis abutuntur. Num forſan peccatum eſt, hortos Panormitanos dicere? quidni verò in Vrbe feliciſsima, amæniſsima Siciliae, addam & Europae delitijs.

*S*ed pungunt illa Inchoferi verba, quibus Meſſanam Reginae, hoc eſt Deiparae Virginis Vrbem appellat, quaſi ceterae Siculae Vrbes extra dignitatem ponantur. De ala muſcae bella Graecorum. In ius vocentur ergo omnes vniuerſi Orbis Parthenopoles, Neapolis in Campania, Magdeburgum in Saxonia, quae propriè Parthenopolis Germanicè dicitur, Sienae in Hetruria, aliae alibi: quis neget alias quaſque vrbes, pro ſua quamq; religione, ſub tutela Deiparae Virginis, aliorumque Diuorum, quos tutelares agnoſcunt, eſſe. Ego verò Panormũ inſtar Paradiſi, & à Cherubinis defendi facilè cõceſſero, imò & Theopolim, hoc eſt Ciuitatem Dei vocauero; *ipſe enim eſt Deus cæli, & terræ, & omnium, quæ in eis ſunt*, quid ergo hinc probri, ſi rectè intelligatur?

Dixi

Dixi Inchoferum ſcripſiſſe ad Viennenſes; Auſtriacos intelligo, quorum ciuis eſt, non ad Gallos; vtroſque tamen celeberrimi nominis, neque aliam hactenus legi Viennam, quàm Auſtriae, & Galliae. Franciſcus tamen Baroni in ſuis Vindicijs pro ſua eruditione videtur Viennam Auſtriæ ponere ſitam in Heluetia, & Heluetiam magnus Coſmographus confundere cum Auſtria, idcirco Inchoferum Heluetium vocat, cum ipſe initio libri vncialibus prope literis inſcribat Auſtriacum. Ex his conijce de ceteris. Aduertit hoc ipſum Inchofer alicubi in notis.

§. X:

QVinto improbatur Inchofero, quod dixiſſet Panormitanos, & diutius luiſſe peſte, quod à Graeculo quodam, cui ipſi ſalutem commiſerant, contagium aleretur. Verba Inchoferi haec ſunt. *Tenuit porrò Panormum ea calamitas diutius, quod ciues hominis idiotæ, ſed verſuti Graeculi fide innixi, curam illi ſanitatis demandaſſent, hic enim ſeruato luis fomite, ſparſiſque inde virulentis quibuſdam odoramentis, plures fortaſſe necauit, quàm prius quaqua tandem experientia liberarat. Tandem detecta manticulatio, merentiſſimũ mortaliũ, exemplo obiecit nouiſſimo.* Hæc ille. Quid verò hinc tantum mali, vt idcirco Gigantum bella contra cœlum cierentur. Aiunt quidam non fuiſſe ſpargendum peſtilentia laboraſſe Panormum, ſed alio contagio, quando negantes plerique, etiam ex medicorum decreto penè ad ſanguinem ſubinde decertarent; fateor & hic Meſſanae viguiſſe hanc controuerſiam, ſed ſtatim atque Panormi illuxit Diua Roſalia, deferbuiſſe animos vbique contradicentium, ne alioqui aliquid minus tribuerent Diuae, quàm peſte affectis tuliſſe opem. Ego verò crediderim, non tunc primùm cœpiſſe peſtem Panormitanam, ſed longè ante graſſatam in plurimorum capita, etiam extra Panormum alioqui non rectè

illatum

illatum ſit, in Martyrologio Romano Roſaliam, Siciliam à peſte liberaſſe, quod nec tu diffiteris in tuis Notitijs; nam vt aliqua ratione dici queat liberaſſe, quatenus ne vltrò ſerperet, prohibuit, rectius tamen, & ad gloriam Diuae magis apposite, liberaſſe ab ea, quae vigebat contagione, non quae metuebatur, praeſertim ſi verum ſit, ſtatim atque inuentum Diuae corpus percrebuit, ſalubritatem aëris reſtitutam eſſe.

At falſum eſt Graeculo idiotae Panormitanos curam demandaſſe: ſed hoc perſaepe, tum ad nos Meſſanenſes perſcripſere Panormitani; veniſſe ſcilicet hominem eum pene alterum Æſculapium, multiſ opem tuliſſe, publicè conductum operam locaſſe, demum peruerſæ mentis medicum, lucrandi dubio procul animo ſeruaſſe luem, quibus vellet innoxiam, alijs quouis contactu perniciosam: perſcripſere etiam, quo id modo per multos dies perfeciſſet, quo tandem indicio detectus lue grauius luiſſet. Haec ſi obiter notauit Inchofer, communi famae dedit, cui nihil obeſt, quod non nemo alia de cauſa ſupplicium de homine ſumptum fuiſſe literis poſt datis ſcripſerit, plus datum plurium fidei, quae paſsim omnium aures rumore illo occupauit, quàm vnius, nec publici nominis obſcuris literis. Neque enim credi poterat, eum hominem, qui pluribus ſalutem attulit, eò praeſertim tempore alia de cauſa plexum fuiſſe, nè beneficentiſsimae in omnes Vrbi nota ingrati animi inuri poſſe videretur. Id ſi falſum eſt, demus ita eſſe, errauit Inchofer cum fama, errauit cum literis Panormo ad ſe datis, quid inde criminis, quod nequeat expiari? verùm minimè illum erraſſe fatetur veritas ipſa ex Conſult. M. Ant. Galterij Anglonenſis, Marchionis Tauaræ Siciliae Proregis, Medici cubicularij, gemino à te, Pirre, celebrata Epigrāmate, ac Panormi impreſſa, & ex Deciſ. 8. lib. 3. Franciſci Caſtillo, qua his de cauſis plexum fuiſſe pœna vltimi ſupplicij inuiſum illud humani generis hoſtem apertiſsimè euadit. Sed dicunt hinc ſugillari ſapientiam, & prudentiam Panormitanorum,

quaſi

minus cautè egerint in ſalute Graeculo idiotae credita, ego verò Panormitanos homines eſſe puto, neque tamen ideò non prudenter illos, & circumſpectè egiſſe dico, tametſi falli queant in ijs, quæ perſpicere nequeunt, niſi iam reconditas etiam cogitationes ſoli Deo ſeruatas, non vllo ſigno propalatas ſibi notas eſſe glorientur, & verſutiſsimi, & occulti hominis meditata ſcelera, nec vnquam ante prodita, ſibi perſpecta, & explorata eſſe fateantur. Prudentiſsimi fuere Athenienſes, & tamen in ſimili ſtrage deceptos ſe agnouerunt. Prudentiſsimi, vt antiqua taceamus, nuper Mediolanenſes, neque tamen continuò perui derunt, quæ ſceleratorum manus in præclariſsimam Vrbem ſunera conciuit, ſed captis demum indicijs, comprehenſa mali cauſa de inuiſis humanæ naturæ capitibus dignas, ſi tamen dignas, pœnas ſumpſerunt. Num idcirco Vrbi in Orbe famigeratiſsimæ aliquid honoris deceſsit, & non potiùs immenſum laudis argumentum cum æterna noxiorum infamia ad poſteros tranſmiſſum eſt?

§. XI.

SExtum palmare eſt, & Inchoferum plus quàm Vatiniano odio obiecit, ſæpiùs ſcilicet extuliſſe Meſſanam, ceu Caput Regni, idque ex varijs capitibus oſtendere, conatum eſſe. Multa hoc loco dici poſſent, ſed conſultò prætereo, ne actum agam. Inchoferum ſæpiùs hac nuncupatione Capitis Regni honoraſſe Meſſanam, verum eſt, nihil tamen præter inſtitutum feciſſe, nemo non dicet, ſi animaduertat Meſſanæ ſuum librum inſcripſiſſe, decuiſſeque Meſſanam eo titulo decorare, quem ipſa in publicis inſignibus, ſigilloq; literarum, ac tabularum conſueto, Regum ſuorum, ac Principum ſcitu, nemine iure contradicente, præ ſe ferre ſolet: neque hoc facto vllius ciuitatis Siculæ iuri, aut qualicunque prætenſioni ſe officere exiſtimauit, quando nulli

veritas præiudicium infert, atque vbi degebat Inchofer, nihil prætcrea frequentiùs, quã Meſſanã Regni Caput, audire conſueuerat. Si præſertim hoc ipſum Romanorũ Imperatorum, & Conſulum dono accepiſſe Meſſanam, multiſque & Principum ſuorum, & comitiorum ſuffragijs æſtimatam Capitis dignitatem peruiderat. Id, quod præter authores hactenus à ſcriptoribus Meſſanenſibus, alijſque laudatos, confirmant etiam celeberrimi, ac doctiſsimi viri Petrus Apianus, & Bartholomæus Amantius, quondam in clariſsima Ingolſtadienſi Academia, alter Mathematicæ profeſſor, & ſuo tempore facilè princeps; humanarum literarum alter præceptor clariſsimus, ac Poeta Cæſareus, in ijs inſcriptionibus, quas titulo Sacroſanctæ vetuſtatis totius ferè Orbis, ſummo ſtudio congeſſerunt. Quod ſi præterea ex repromiſſa Virginis protectione, quaſi inter plurima diuinitùs collata beneficia, hanc quoque dignitatem numerauit, & rhetoricè fecit, & iuris quadam præcepti conſenſione; legerat enim & Gallæcionẽ Compoſtellam hac prærogatiua ſe ceteris eximere, quod Iacobum Apoſtolum accepiſſet, & Arelatem Galliarum primatu à viris doctiſsimis cenſeri, quod Throphimum ab Apoſtolo Petro miſſum habere meruit ſacerdotem, & quod magis huc ſpectat, Cæſarauguſtam quoque eo ſolo ſuorum contentione eminere, quod Virginis Deiparæ in columna apparentis dignitate prælucerct, quod prærogatiuum etiam in Rota Romana verſari Inchofer non neſciebat, quid mi ergo ex tam populari argumento ad Meſſanæ quoq; honores aſſerendos deſcendere merito, & exemplo poterat, quando Parthenographium ab illo celebratum, maiora etiam in ſe ornamenta complecteretur.

Nihil hic vlli Siculorum ciuitati præſeptum, aut decerptum, fruatur vnaquaque ſuis prærogatiuis, vtatur iuribus, quid ad Meſſanam? quid ad Inchoferum? Non neſciebat Inchofer, quod etiam alicubi in noua editione recitat, Syracuſas grande aliquando, & inuictum caput dictas, num illis

quicquam

quicquam derogatum, ſi deinde earum ciuitatum, quæ *Saracenis* parebant, vel, vt tu dicis, inter fœderatas Carthaginenſium Reipublicæ ciuitates, Panormus à Procopio Caput diceretur, num Panormo, & ipſis iiſdem *Syracuſis* quicquā ademptum, ſi Meſſana à Romanis conſulibus, Romaniſque deinde Imperatoribus honore Capitis totius *Siciliæ* ſalutata, & inſignita fuit? Vndecunque tandem id petatur, quod modò non eſt mei inſtituti pluribus euertere, dum Meſſana iuris, & facti poſſeſsioni hactenus conſtanter inhæret, innumeris penè Cæſarum, & Regum vallata priuilegijs, ac Sicilienſium Comitiorum ſanctionibus.

Et mirati ſunt nuper plerique, poſt maximos in impedienda Meſſanenſium ex Epiſtola Virginis religione labores, huc tandem delapſam eſſe omnem controuerſiam, ne permiſſo illo argumento, Meſſanæ tanquam Capitis Regni mentio fieret, vt qui id molirentur, non tam pro zelo religionis, quemadmodum initio præſeferre videbantur in emolienda Epiſtola, quàm pro ciuili contentione ſudaſſe crederentur. Verùm habuerunt æquiſsimos iudices, qui rem profanæ, & politicæ prætenſionis à ſacro foro reiecerunt.

Ceterùm Inchofer non alia, quàm facti, & iuris ſui tuendi cauſa, dum licitum ſibi opinaretur, Meſſanam toties, quoties opus eſſet, Capitis honore inſcribere. Opportunè incidit in Bullam Iulij III. qua id priuilegij Pontifex repetens, quo Meſſana *Senatus*, Populiq; Romani decreto, in ceterarum Regni *Siciliae* ciuitatum Caput erigi, & Nobilitatis titulo extolli meruerit, Canonicis Eccleſiæ Cathedralis Meſſanenſis rocchettum, & cappam (vt verbis Bullæ vtar) indulſit. Multoq; opportunius in alteram Vrbani VIII. qui hodie feliciter ſedet, qua ex eo, quod Ciuitas Meſſanenſis Regni *Siciliae* Caput, Eccleſia verò Metropolis ſit, eiuſdem Canonicis, nec non Eccleſiæ decori, & venuſtati amplioribus priuilegijs conſulens muzettam conceſsit. Quibus viſis, licitum exiſtimauit ſibi quoque iiſdem hono-

ris nuncupationibus vti, idque citra odium, niſi odium in Pontifices Summos quoque velis redundare, id quod tu quoque, Pirre, libenter, opinor, fateberis, quando eas Bullas, vt puta recentiores, ſolito diligentiùs in tuis Notitijs extare voluiſti.

Maximè tamen opportunum fuit Regias quoque Philippi Quarti literas in rem veniſſe. Audierat Rex nonnullos eſſe Romæ, qui partium illegitimè ſatagerent, ne vocabulum Capitis Regni Meſſanae inſcriptum in libro Inchoferi extaret, id propter literis ad Marchionem Caſtri Roderici ſuum apud Sedem Apoſtolicam Oratorem datis mandauit, caueret quàm diligentiſsimè, ne quid iuris inde decederet, & contrarium attentantibus omni poteſtate aduerſum iret; ſcilicet iſti obliquè perſtringuntur apud ſacra Tribunalia de Capite Regni diſceptare conati, tamquam ſi id Religioni, & Fidei orthodoxæ intereſſet: ridiculi actores. Magnus hic Inchofero acceſsit animus, dum crederent nonnulli non ſolùm præceptum ipſi eſſe, ne quid ſcripto diminueret, ſed ſemel nouiſsimo hoc Regis mandato firmatum, vt non obſtantibus alijs aliarum ciuitatum prætenſis priuilegijs Meſſana ſuo iure, pacifica in poſterum poſſeſsione frueretur. Vidi ego exemplum Regiarum literarum libenter hic inſerturus, niſi alterius loci, & ſecundùm iura longioris interpretationis eſſet; nunc breuitati ſtudendum. Crediderim tamen Regem inde etiam permotum, quod biennio, vel circiter ante ex erudita Blaſij Gundiſalui diſceptatione, quam de præſenti argumento aduerſus Panormitanorum rationes ſcripto primùm Regio Senatui exhibuit, deinde etiam typis vulgauit, de re tota pro Meſſanenſibus peractum ſapienter comprehendiſſet. Diremptam regio placito litem puta.

Atque ex hactenus dictis, Rocche Pirre, abundè credo intelligis, Inchoferum nec obfuſcare voluiſſe Panormitanæ vrbis ſplendorem, nec quoquo modo obliquè perſtringere, multò minus, quod tu dicis, *arrepta per induſtriam*

occaſione

Digitized by Google

occaſione res Panormitanas eleuare, verborum aculeis confodere, vt id æquè ſequi, ac propoſitum habere videretur. Id ipſum non ſemel ſanctè affirmaſſe eum non Meſſanenſibus duntaxat, ſed & Romanis, & Panormitanis Romæ forté exiſtentibus ſæpè accepi, nec vllam prorſus cauſam habuiſſe ipſum, cur non ſolùm in immerentem, ſed etiã benè de ſe meritam ciuitatem, tam grauiter, & iniquè offenderet.

§. XII.

QVæ hactenus varia miſcens attexuiſti, non ſine publico ſuffragio dicta, lectorem vis arbitrari, ne in Eleuſina ſacra, opinor, peccaſſe videreris. Suffragij verò publici capita hæc ſunt.

I. *Vix Inchoferianus liber è prælis typographicis exceſſit, ac Panormum venit cum ea, qua imbutus erat, odij lues animaduerti cæpit, & plurimorum animos ad indignationem accenderunt ea, quas inferebat flammæ.* Mirum, quod non addas, lachrymaſſe omnes, genas, & capillos vellicaſſe, pectora contudiſſe, veſtes diſcidiſſe.

II. *Fuit, qui arrepto ſtatim calamo par pari rependerit, & Inchoferum edito libello conuicijs onerarit egregiè, & quia contra Panormitanos illo intumuit, paucis, & viuidè depulerit.*

III. *Alij aliis cudebant libros, & adeò efferbuit multorum ira, vt pro ſingulari ipſorum prudentia DD. Inquiſitores publicè cauerint, ne Inchoferianum librum quis legere, vel apud ſe habere auderet, ſed ipſius exemplaria quotquot vel Panormi, vel Meſſanæ, vel in reliquis Siciliæ vrbibus eſſent, ad ipſos deferrentur.*

IV. *Illud præterea oſtendit, quod multa Inchofero exciderint, quæ Harpocratico ſilentio contegenda eſſent; nam religioſiſſimum ſanctæ Inquiſitionis Tribunal in Hiſpania nonnulla in eo*

in eo libro delenda decreuit.

V. *Romæ Sacra Cardinalium Congregatio delatum ad ſe ſe librum minimè probauit, ſed longo dignum examine cenſuit.*

VI. *Et ipſe Inchofer Romam à Reuer. Patre Mutio Vitelleſco ad reddendam ſcriptionis rationem ſit euocatus, ibique iam tres ipſos annos moratur.*

Hæc ſunt publici ſuffragij capita, in quibus ſcribendis quàm ſyncerè, & quanta cum veritate, & circumſpectione verſatus ſis, iam aperiam, vt ex his manifeſtum omnibus euadat, quæ fides dictis tuis habenda ſit in ijs, quæ remota ſunt à teſtibus, quando tam turpiter fallas in ijs, quæ in oculis, & Capite Orbis geſta ſunt.

§. XIII.

CIrca primum itaque caput, an Inchofer vel minimo in Panormitanos odio fuerit imbutus, ex hactenus dictis ſatis exploratum euadit, te verò ex tua ſententia redarguit. Laudaſti alicubi Inchoferum de pietate, ne ægrè tibi perſuadebis, ſi æquus es, cum pietate tantum odium hærere poſſe; ſit dixiſſe ſatis, Inchoferum omnium teſtimonio probatum religioſum eſſe. Vide ergo, ne qui ſecus iudicarit, ex ſuo animo coniecturam faciat. Ego tamen plurimos, & quidem genere, & ortu Panormitanos viros prudentes, & graues dixiſſe non ſemel accepi, in libro Inchoferi non fuiſſe res eiuſmodi, quæ tantam flammam mererentur.

Fuiſſe porrò (hoc ſecundum eſt caput) *qui arrepto ſtatim calamo par pari rependerit, & Inchoferum edito libello conuicijs onerarit egregiè* (hunc tu in margine Franciſcum Baroni manifeſtas) neſcio quàm prudenter, & conſultè ad rem voces, vt & tibi notam inuras, cùm ea laudes, quæ minimè laudanda ſunt, & hominem iam forſaſſe (ſi quid hu-

manitatis

manitatis habuit) erroris ſui pœnitentem, iterum in ſcenam producas, iterum flagelles.

Si conuicijs agendum, certè nec ego, nec Inchofer, nec quiuis alius vobiſcum certauerit, lurcorum, id eſt ardelionum, & ganeonum. Inter doctos, ſi quid controuerſiæ incidit, rationibus, ac modis agitur; concertatio ingeniorum, non conuiciorum inſolentia ſpectatur. Et noſti, opinor, quid leges de talium libellorum authoribus decernant, vt caput, & famam poſcant; vide ne te quoque laudando reum egeris, ſaltem ſi Theologus es, quid ad conſcientiam rectè adferas, callere debes. Hic verò longè omnium es diſsimillimus, nemo ſapiens, etiam Panormi probauit hanc inſolentiã, & multis viſum, quod reapſe fuit, inde quoque cauſam Inchoferi meliorem euaſiſſe. Quid Baroni impulerit, nouerit ipſe, aliunde ſi valebat, gratiam præſtabat quærere, & inire, quàm tanto æſtu debacchari in eum, quem, in Societate Ieſu dum vixiſſet, fauentiſsimum ſibi, ſuique amantiſsimum (fortè immeritò) expertus fuiſſet, vt hoc inter alia maximè doleret Inchofero, obtuliſſe ſe hominem ſpontè, vt ferebatur, humanitatis oblitum, ſuæ iterum famæ prodigum, & qui in omnem audaciam proiectus cõtemptor legum audiret; quamquam non deſint, qui ab alijs inſtigatum velint, vt miſerum ludo obijcerent. Erras ergo, Pirre, dum dicis par pari reddidiſſe; quis enim Baroni conuicia cum Inchoferi modeſtia comparare, quis temeritatem, vt mitiſsimè loquar, cum Inchoferi eruditione, ac doctrina conferre auſit? fateor tamen, ſi in conuiciando excedere dicas, nedum Inchoferum, qui nihil id generis ſapit, ſed Agyrtas omnes, herbam porrecturos, ſcilicet, *quæ contra Panormitanos Inchofer euomuit, ille paucis, & viuidè depulit.* Demus gratis, quod ego non conceſſerim, Inchoferum contra Panormitanos dixiſſe, quibus, quæſo, argumentis ea Franciſcus Baroni viuidè depulit? vidit libellum Inchofer, ſenſit, non tam ſua cauſa, quàm illius, miſertus miſero, qui tam fœdè in famam impegiſſet. Reſpondit

dit quàm primum, paucis ſanè, ſed ad ſententiam ſapientum factis, quibus hominem eiuſmodi infra hominem poſuit, & afflixit. Vidi, & legi aureum hoc in genere librum. Erant non pauci, qui luci dandum vltrò contenderent, ſolus ipſe reſtitit Inchofer. *Indulſimus*, inquit, *calamo, vt ſecundùm hominis genium reſponderemus, at nobis imperamus, ne benemerendi occaſionem apud Deum perdamus, quin libenter condonamus, fortaſſe iam in ſe reuerſo.* Manſit libellus ille penes Albertum Piccolum, eius morte quo euaſerit, mihi incertum, vtinam ad tuas manus, Rocche, perueniat, vt videas, quàm viuidè, ſi Superis placet, Inchoferi dicta Franciſcus Baroni depulerit.

Septem ac triginta mendacia planè coronata in eo libello deprehenduntur, errores quinquaginta quinque, tum in hiſtorijs, tum in reliqua eruditione, nulla vſquam ſolida ratio, nulla philoſophia, vana ſophiſmata, reticentiæ, ac diſſimulationes, proteruæ impoſturæ, inductiones Breuium Apoſtolicorum, quas ſolus Alexander Seuerus caſtigarit: graue illud, quod plurimos Societatis viros immerentes, vt probroſe perſtrinxerit: peius, quod Meſſanenſi Ciuitati quiduis perinde licenter, ac temerè, nulla habita ratione, impoſuerit. Et mirum, qui in ſua Maieſtate Panormitana reos maieſtatis dixerit, qui in Panormitanos offenderent, ipſe ſe nullo crimini obſtrictum crederet, dum in Meſſanenſes adeò perditè, & contemptim debaccharetur; hunc tu rectius ſanè dixeris, quàm Inchoferum, Sicularum Vrbium fouere odia, & in partium ſtudia rapi, quæ ſanè à bonis moribus longè abhorrent. Ridicula fuere alia non pauca, ſed quæ hominis ieiunium, & inediam in ſacris hiſtorijs oſtenderunt, cuiuſmodi inter alia, quod ex capitularibus falſò Carolo Magno adſcriptis, & ab Hæreticis cōfarcinatis, ipſe tanquam ex Catholicorum ſententia contra Inchoferum arguit, quamuis & illorum ſententiam mutilarit, ne ſi ſenſus cohæreret, contra ipſum facere videretur. Taceo peruerſas Patrum ſententias, fortaſſe non intellectas, fal-

ſas citationes, ac corruptas, & innumera alia, inter quæ ſcurrile eſt illud, plenumque ignorantia, quod cùm Inchofer tractaret de dæmonibus olim Siciliam infeſtantibus, quos fama, & hiſtoria tradunt è Palæſtina in hanc Inſulam commigraſſe, quærit inſulſus Cario, qua lingua Inchofer affatus fuerit dæmones, & vbi gentium cum iiſdem conuerſatus: vt rectè non nemo Principum virorum dixerit, reſpondendum fuiſſe Inchofero, linguam dæmonum notiorem illi eſſe, quem à religione abſtractum, tot iurgijs, & aduerſis iactatum, ad id genus conuiciandi ipſi inflammaſſent. Vereor autem, Pirre, ne idem ex te quærat, abs te laudatus amicus, qui refers Argyren, vel, vt tu loqueris, Agyrum immundos ſpiritus immigraſſe ex Hieroſolymis poſt vrbis captiuitatem, cùm eam ingreſſus eſt Nabuchodonoſor, eoſque habitare cœpiſſe in cauernis lapideis Agyrij, è regione Æthnæ montis, quò Romanus Pontifex deſtinarat Philippum, quem hodie dicimus Argyrenſem, ad eos pellendos: quærat, inquam, ex te amicus tuus, vnde incideris in notitiã dæmonum iſtorum; qua lingua ſis confabulatus; quid quæſo, reſpondeas, niſi deſipias? Ridebis, opinor, leuiſsimi hominis ſcurrilitatem, quando huiuſmodi ſcurrilitas in ipſum etiam Pontificem, qui Philippum in Siciliam legauit, offendere queat. Finiam ſemel hoc alio ridiculo, ex quo de iudicio hominis conijcias. Edidit librum nomine Venetiarum ad ſignum candentis Salamandræ, paucis, poſtquam liber Inchoferi in lucem venit, hebdomadis, quo interuallo, nedum Panormo Venetias mitti, ibique excudi, rurſumque reuerti Panormum, & Meſſanam transferri, ſed ſi vel diei tantùm moram Venetijs traxiſſet, citatis vtcunque veredis, vix ire, redire potuiſſet, vt nil dicam ciuitati Europæ clariſsimæ, legumque ſeruantiſsimae, non parum inde laudis detractum iri, ſi tale ex ſe monſtrum edidiſſet. Neque id ſatis elues, ſi dicas feſtinatum fuiſſe Panormi opus à pluribus in contentionem concinnatũ, non vno ſtudio (quod vel diuerſitas ſtyli oſtendit) ideoque facilè multorum erro-

re, quò quemque ferebat ardor contradicendi, coalitum, Baroni id ſolùm datum, quo liber ſpeciem ſuam ferret, ideſt conuiciandi principatum, & quicquid praeter iudicium incideret, non habito diſcrimine, quò ſibi ſententiae, & dicta aliorum cohærerent.

Hunc ne ergo, Pirre, librum laudes? vide ne tibi multum laudis deripias, in ſanctiones, & leges offendas. Quàm longè à recto aberras! Inchofer cùm alteram editionem moliretur, ne meminiſſe quidem voluit, quamquam diuerſi diuerſa ingererent: alij quidem, vt hominem in ordinem redigeret, imprudentiam, & inſcitiam detegeret: alij, vt rationes ſaltem, ſi quae eſſent allatae, non diſsimularet, obliquè perſtricto conuiciorum fabro, ſed nihil fuit dignum conſideratione; ramenta, & quiſquilias mittendas, nemo non ſuaſit, ij praeſertim viri grauiſsimi, & in dignitate conſtituti, qui dicerent Franciſcum Baroni, non Inchoferiano ſtylo, ne quid labis contrahat, ſed arundineo Arabû calamo deſcribendum. Fecere & Patres Societatis, non parum in Vrbe agentes, vel hoc nomine, ne homo iners, qui ſcribendo ipſe ſibi pœna fuiſſet, à ſano propoſito abduceretur, de mente deijceretur. Fecit verò Inchofer religioſiſsimè, cùm diceret, non ſolùm nihil ſe acerbè in hominis dicta, aut animum prolaturum, ſed vltrò gratiam redditurum, quòd coram quibus opus fuit, perſpecto eiuſdem infami ſcripto, cauſam ſuam longè meliorem effeciſſet.

§. XIV.

Qvod ais, *alij alios cudebant libros*, niſi te ipſum, Antonium Rijtanum intelligis, tecum modò ago, cum illo, vbi tu hominem nomine compellaueris, ne ſuſpicio mea tuum calamum anteuertat. Porrò cum narras, *DD. Inquiſitores publicè cauiſſe, ne Inchoferianum librum quis legeret, vel apud ſe habere auderet, &c.* facis, quod lupus in Ni-

candri

candri fabula, excuſſas ſcilicet equo ſoleas, non ſibi caudam detruncatam. Fecerunt DD. Inquiſitores, quod ſibi pro munere viſum, num verò librum Baroni immunem eſſe ab interdicto iuſſerunt? id tu cur ſiles? atque vtinam non plura in tuis Noticijs (neſcio quam ob cauſam) ſiluiſſes, ſcilicet *cauere DD. Inquiſitores, ne Inchoferianum librum quis legere, vel apud ſe habere auderet*, tamquam pernicioſum moribus, & fidei ſanæ aduerſum; librum verò Baroni permiſerunt? imò omnibus commendarunt? tanquam Reipublicæ vtilem, bonis moribus, & religioni apprimè conſonum, vno verbo ſacrũ, ac ſanctum, quapropter illum tu *egregiè* commendas, ac veluti ad ſydera extollis. Quid ſi DD. Inquiſitoribus liber Baroni occaſionem dederit animaduertendi in librum Inchoferianum ad tempus, quoad diligentiùs excuteretur. Narrabo ego tibi, ſi neſcis, vt veriora ſcribere diſcas in poſterum. Iam liber Inchoferi peruulgatus erat, quando aliquas poſt hebdomadas conuiciorum cento Baroninus comparuit: hunc grauiter tulere Meſſanenſes, in quos ipſe grauiſsimè offendit: quid plura? deferendum curarunt: tum ne ſolus plecteretur, cautum vt cauſæ contentionum amputarentur, id, opinor, flagitantibus multis bono animo, tractique in argumentum interdicti Inchofer, & Albertus Piccolus poſt annos, denique Franciſcus Baroni, qui vel ſolus legibus ſacer erat. Vidiſti, opinor, Decretum DD. Inquiſitorum, vidiſti qua prudentia, qua mente dijudicatum voluerunt, vidiſti deniq; ex tribus iſtis, quam quiſque ſententiam tulit, in quo nouiſsimum exemplum hæſit, quid diſsimulas?

§ XV.

VIdeamus verò, quæ ſint illa, *multa, quæ Inchofero Harpocratico ſilentio contegenda, exciderunt. Religioſiſſimum*, ais, *S. Inquiſitionis Tribunal in Hiſpania nonnulla in*

eo libro delenda decreuit. Paulò ante dicebas, *multa contegenda fuiſſe*, nunc, *nonnulla delenda decreuit.* Egò verò innuam illa, ne quòd tu vafrè intendis, plura quiſpiam, & maiora ſuſpicetur. Duo in toto opere Inchoferi notauit Sacrum Inquiſitionis Tribunal Hiſpanicum, alterum verbo emendandum, alterum tollendum.

Primum ita iuſsit emendari, vt duo hæc verba [*adulterij ſuſpitioni*] hoc vno [*dubitationi*] redderentur. Rectè ſanè, & prudenter, vt hoc pacto modum loquendi emolliret (ni fallor) & ſingularem erga Virginem humillimi ſponſi reuerentiam notaret.

Alterum tolli decreuit, vt hoc loco præteriretur gratis illa, nec explicatu facilis circa reuelationes Prophetarum diſputatio; quam ſuſpicere magis, quàm examinari par eſt. Rectè, inquã, ne fortè laici minus docti, tuiq; ſimiles Theologi non admodum excuſsi facilè offenderent, eoque grauius impingerent. Sed quid hæc ad Epiſtolam? Nonne hiſ animaduerſis idem S. Inquiſitionis Tribunal permiſit, & vendi, & legi, & haberi dictum Inchoferi librum? cur id siles? An fortè Panormi te degentem latuit edictum Panormi datum die 10. Maij Anni 1632? Nonne Alberti Piccoli liber eiuſdem Tribunalis iuſſu ſuæ integritati abſque emendatione reſtitutus, vbiq; libera gloriæ aura ſpirat, vbiq; legitur, ac teritur? Nonne plura ab eodem Tribunali ſancita, quæ tu ſilentio tuo pluſquam Harpocratico tegis, ac diſsimulas? Quid verò actum de libello famoſo Franciſci Baroni, quem tu laudas, *egregiè* ſcilicet: conſule tenebras? Adhuc autem non video, quid in Inchoferi libro idem Tribunal notarit, ex ijs, quæ tu ipſum odio imbutum in Panormitanos euomuiſſe effutis, eaque fortaſſe magis ſilentio contegenda fuiſſe exiſtimas; nihil ſanè horum emendari iuſſum, aut quia nihil vſquequaq; fuit, quo Panormitani iure offenderentur, aut quia viri ſapientiſsimi nihil vitio, & affectui dantes, ſanis omnia legerunt oculis, & animis, ſtudia partium contempſerunt.

§. XVI.

§. XVI.

R*Oma Sacra Cardinalium Congregatio delatum ad ſe librum minimè probauit, ſed longo dignum examine cenſuit.* Ita ais; quàm conſultiùs non Harpocratico,ſed lethæo planè ſilentio tibi vacares, Pirre, ne aliquando Stentorijs clamoribus vrgerere. Rectè verò longo dignum examine cenſuit, ſed hoc autoritatem libro non minimam conciliat; nonne deinde altera editione permiſit? Negare non audebis. An aliquid eorum,quæ in Panormitanos dicta putantur,ſuſtulit? nondum, opinor, vidiſti librum, ego verò tibi candidè fatebor, nihil de his nugis ad ſuam grauitatem pertinere voluit Sacra Congregatio, inuenies tamen ſublata, quæ offendiſſe gratis ſunt viſa, *Agatham Catanenſem, Roſaliam Bisbonenſem, Chriſtinam admirabilem*, & quædam alia in loco repetita. Caue,dixeris, id non ſponte, ſed imperio coactum fuiſſe Inchoferum, alioqui non effugies imperio etiam ſæpè iteraſſe Meſſanam Caput Regni, niſi hoc dederis Pontificijs Bullis, & Regijs literis, illa iuſſu Patrum Congregationis. Nihil horum, Pirre. Inſcriptionem libri iuſtis de cauſis mutauit ſanctior authoritas, quædam alia clariùs explicanda cenſuit, idq; mandauit opportunè, cetera intacta, integraque reliquit, quæ ſi nouam hanc editionem cum veteri contuleris,facilè deprehendes, multa ab alijs cenſita inſuper habuit, quæ Inchofero addenda, vel demenda eſſe viderentur, facultatem peramplam dedit.

Itaq; cùm plurima explicando, confirmando, refellendoque Inchofer addidiſſet, eruditas præterea notas mantiſſæ loco affixiſſet, multa tamen id generis, quæ, vt alibi diximus,extemporaneum prælo alimentum ſufficiebant, abeſſe à recentiori editione libenter voluit, quippe quæ in priore opere non omninò alienam operam occupaſſent, cuiuſmodi

dit longa illa de Flauio Dextro diſputatio, aliaque de Meſſanenſium prærogatiuis ſat Orbi nota, quæ omnia melioribus argumentis locum dedere.

En, Pirre, qualis euaſit liber, quem tu à Sacra Cardinalium Congregatione minimè probatum dicis, ſed cenſitum longo dignum examine, an verò, quod tu maximè optabas, prohibitum? & non potiùs pietati, & religioni Meſſanenſium, quam tu extinctam volebas, permiſſum? Ceterùm vide, ne fortè tuæ Notitiæ longiori egeant examine, vbi in manus Sacrorum Cenſorum peruenerint; omninò enim præſagio, non impunè abituras, ita in multis offendiſti: & quid frontis feres, vbi hæc exprobratio in tuam iactantiam recidet, faba in caput recudetur?

Verùm qui ſuffragio publico videris incedere, nolim etiam mè ſuffragio publico, adeòque ſanctiori arbitreris deſtitutum, & proferam illud, vbi maior vſus tulerit, interea tu crede Vrbi, & tuis, qui tunc adfuerunt, etiam cauſæ Procuratoribus.

§. XVII.

IPſum Inchoferum Romam à R. P. Mutio Vitelleſco ad reddendam ſcriptionis rationem eſſe euocatum, falsò, & imprudenter, vt multa, dicis, Pirre. Fuit vocatus à S. Congregatione, miſſus præterea à Senatu Meſſanenſi, quamquam nec literæ poſtea P. Generalis Mutij deeſſent, quibus eum hortaretur ad iter maturandum, an verò ſcriptionis rationem reddere debebat P. Mutio Vitelleſco, à quo ſcribendi facultatem, rogatu Senatus Meſſanenſis dudum acceperat? Id qui negant, negant verò aliqui ex tuis, mendacio, & impudentia vapulant: præſtat in frontiſpicio libri facultas atteſtata, quam non puto te quoque negaturum, præſertim cùm paulò ante verba ipſius Inchoferi laudes, quibus fatetur iam à Senatu Romæ exoratam facultatem,

ſed

ſed cui reddidit ſcriptionis rationem Inchofer? P.Generali, an Sacræ Congregationi? hoc ſi non ignorabas, exprimere debebas, ne morum imperitus haberere.

Reddidit porrò ſcriptionis ſuæ rationem ea dexteritate, & felicitate, quam tu facilè inuideas homini, quem eſſe nolles. Huius etiam rei publicam atteſtationem nolo hic afferre, quamuis poſſem, ne te laudibus Inchoferi cædam, immò & mendacij arguam, ſi plura ex ea atteſtatione euoluam. Quare non ſolùm tres, ſed quinque ferè annos Romæ moratus eſt Inchofer, quæ quidem mora publico teſtimonio occaſio ipſi fuit maioris opinionis, & laudis in luce comparandæ, cui opinioni non vno ſpecimine omnium approbatione ſatiſfecit, vt fruſtra eum tuis ignoſcendis, & nota dignis Notitijs velis denigrare, tua ſanè fides lubrica, publico Sacræ Congregationis teſtimonio, non ſolùm poſtponenda, ſed ex lege reijcienda eſt, vt camarina.

Sapis verò tandem, cùm fateris, tui inſtituti non eſſe, quæ Inchofer minus aptè dixiſſe videtur, caſtigare: neque eum te eſſe ſentis, quem eius muneris ratio requireret: At quomodo initio dixiſti, adeò neceſſarium eſſe inſtituto tuo hanc Epiſtolæ tractationem, vt praeterire nullo iure poſſes? nimis inconſtans, ac dubius es: ſed dicis, *ſubinferam tamen aliquando pauca.* Videamus.

§. XVIII.

IN qua re, neſcio, quid magis admirer, tuam in argumentis ponderandis ignauiam, an in diſſimulandis aliorum dictis, & reſponſis fallaciam, vt ſic lectori obtrudas, & imponas, an denique in miſcendis veris cum falſis inconſiderantiam, ne quid amplius dicam.

Scribis, *Meſſanenſes dixiſſe videri vtrumque autographum Virginalis Epiſtolae, Hebraicum, & Graecum, vel ſaltem alterum apud ſe haberi.* Citas pro te tua Bonfilium, Philip-

Philippum Gothum, & Bartholomaeum Petracium. Addis Caniſium, Biuarium Dextri ſcholiaſten. His omnibus reſpondes.

Primò conſtitutum eſſe debere apud omnes, vtraque autographo Meſſanenſes carere, tum quia Maurolycus ad calcem ſui Martyrologij nihil de Virginis, vel Pauli autographis recenſet, non omiſſurus, ſi ea, dum luſtraret vniuerſa Meſſanenſis Eccleſiæ ſcrinia, reperiſſet; tum quia Inchofer negat Meſſanenſes à ſeculi memoria affirmaſſe Epiſtolam Virginis Hebraicè, aut etiam Græcè ſcriptam poſt tempora Laſcaris in ſuis ſcrinijs aſſeruari: atq; adeò negat allatos authores id affirmaſſe; fuerunt enim omnes poſt Laſcarim, qui ſeculo decimo quarto vixit, atque hos authores loquutos eſſe de hac Epiſtola in propagato exemplo, ſeu de eius apographis interpretatur.

Secundò è Byzantina Bibliotheca Græcum exemplar eius Epiſtolæ Laſcarim attuliſſe dixerunt nonnulli, vt refert Inchofer, ſed eo etiam carent Meſſanenſes, vt idem fatetur Inchofer, qui etiam nunquam Laſcarim manuſcriptum aliquod de hac re aduexiſse narrat, ſed ſubdubitat ſolùm an exempli veritatem inſpexerit, ſubdubitat autem ſine vlla coniectura, vti ſolet frequentiſſimè.

Tertiò ante Laſcarim neminem auctorum huius Epiſtolæ ad Meſſanenſes ſcriptæ meminiſse (ſeponis nunc Flauium Dextrum, de quo infra) *fatetur ingenuè Inchofer, & res ipſa loquitur.*

Quartò ipſum Laſcaris autographum latinè ſcriptum, vbi Epiſtolæ occaſionem enarrat, nec habet Meſſanenſe tabularium. Id ait Inchofer, qui illud perquiſiuit, & furto ſubreptum credit.

Narras deinde, quo pacto rem prodat Laſcaris in prologo, quem Epiſtolae Virginis praefixit, cuius tamen poſtrema verba ab exceptoribus addita fuiſſe ſentit Inchofer, *ijs denique ferè verbis, rem referre,* ais, *manuſcriptum codicem, quem à Iacobo Leontino oblatum ſe vidiſse, ait Inchofer, & verba ipſius recitat.*

Addis, *aliam longè diuerſam, alios Meſſanenſes ad effugiendas,*

das difficultates, quibus prima narratio inuoluitur, prætendunt occaſionem. Eam recitas ex Inchofero, & ſubdis; *hæc ſecunda narratio oſtendit Meſſanenſes in Traditione de his literis, quas tantopere iactant (vt diximus) conſtantes non fuiſſe, ſed alios aliò abiuiſſe, vt difficultatibus primæ narrationis ſeſe expedirent. Hanc verò ſecundam ne nutantem Traditionem fateri eſſet neceſſe, non recipit Inchofer modò laudatus, in prima ergo conquieſcunt, ſed quàm incommodè mox oſtendam.* Haec ex tuis, Pirre, quantum ad rem ſatis.

Apparet verò ſatis te non tuo ingenio laborare, ſed quas difficultates Inchofer, & alij, quo propiùs ad verum accederent, expenderunt, in ijs tricare, vt aliquid dicere videaris. Laudandus verò eſt Inchofer, nihil difficultatis diſsimulaſſe, plura etiam, quàm tu ipſe afferas, attuliſſe, & meliora, feliciter ab ipſo ſoluta, ſi percepiſſes, in quibus caput, & cardo rei uerſari poterat; verùm tu ea plerumque deligis in quo pro tuo captu exundare poſsis, & vulgo venditare, quaſi multum potueris, & feceris. Iam ad ſingula veniamus.

§. XIX.

MEſſanenſes dixiſſe vtrumque autographum Hebraeum, aut ſaltem Graecum apud ſe haberi: ſimile illi eſt mendacium, quo tui ſimiles in Vrbe geſtire ſunt viſi, quoad impudentia reijceretur: vtrumq; ſcilicet autographum, aut ſaltem alterū Meſſanæ in publicis, & ſolemnibus ſupplicationibus deferri, eoque Meſſanenſes gloriari. Tute ipſe, ni fallor, aduertis mendacium, idcirco non dicis Meſſanenſes dixerunt, ſed dixiſſe videntur, niſi ita loquaris, vel animo calumniandi, ſi veritatem intelligas, vel quia, quæ ipſi dixerunt, non percepiſti. Nam vt Bonfilius ambiguè loquatur, aut etiam planè de exemplari Græco in Tabularijs aſſeruato fateatur. *Vedeſi tradotta queſta Lettera dalla fauella*

F *Ebrea*

Digitized by Google

Ebrea nella Greca dal dottiſsimo, e nobiliſsimo Conſtantino Laſcari, e conſeruato tra le publiche ſcritture della Città.

Primò non ait aſſeruari exemplar Hæbræum: deinde, quòd Conſtantinus Laſcaris homo Græcus eam Epiſtolam græcè etiam reddere potuerit, ex quocunque tandem exemplo deſumptum, idq; cum Latino ab eodem conuerſo aſſeruatum, deinde perditum fuerit, non videtūr adeò ſtupendum, vt ſapientiores attonitos reddat, in eumque ſenſum commodè interpretari poſſumus Bartholomæum Petracium. Quamquam quid vnus, aut alter Meſſanenſis non adeo diligens in inquirendo prætulerit, non admodum eſt curandum, vt idcirco id omnibus Meſſanenſibus imprudenter adſcribas. Poteras tu niſi imprudenter agere didiciſſes, fidem maiorem habere Philippo Gotho, & Inchofero, qui recentiùs ſcripſit, & vt tu dicis, *omnia diligentiſſimè huius Epiſtolæ veſtigia conquiſiuit*; hi verò non niſi de Latina, quamuis diſcrimine aliquo, ſunt loquuti. Poteras & Franciſco Maurolyco deferre, qui, quemadmodum notas, nihil in calce Martyrologij de his autographis loquutus eſt, neque tamen negare potes, eum locutum in compendio rerum Sicanicarum de ipſa Epiſtola; quid diſsimulas? cur verò non omnia expenderit circa hanc Epiſtolam, poteras ex Inchofero multis ſanè diſcere, niſi animum cum liuentibus oculis affectum ad legendum adhibuiſſes. Denique poteras ad rem adducere id, quod in ipſa narratione Conſtantini Laſcaris habetur, ſiue tandem ab exceptoribus, ſiue aliunde ſit appoſitum, in quo non niſi de Latino exemplari mentio inducitur. Sed tu paucioribus maluiſti abuti ad calumniam, quàm pluribus, & dignioribus duci ad pietatem. Quin verò Caniſius, quem tu pro Meſſanenſibus laudas, quique aliquando Meſſanæ vixit, argumēto erat, non eſſe ſermonem, niſi de Epiſtola Virginis aſſeruata, nulla autographorum habita memoria, idemque tibi ingerebat Franciſcus Arias, à te prætcritus, alijque apud Inchoferum (vt Biuarium mittam) quem tu diligentius legere

gere debebas,quos inter ſi nonnulli de Græco autographo viſi ſunt autumaſſe, qua mente ab Inchofero excuſentur, ignorare te,plura alioqui ex ipſo diſcentem, nõ oportebat.

Præclarè verò tu hic admurmuras, *ſi illi auctores, vt videntur, de autographo loquuntur, errat Inchofer, dum eos excuſat, atque illorum nunc ſeſe prodit mendacium, ſi autem de illo ſermo non eſt, eò magis credendum eſt Inchofero neganti illud Meſſanenſes habere.* Debebas dicere errare videtur Inchofer, ſicut dixiſti, *ſi illi auctores, vt videntur, &c.* nam ſi non videntur loqui de autographo (ſaltem plures) profectò non errat Inchofer, ſed tu ſolitò falſum dicis, minuſque Theologicè loqueris, cùm improperas illorum authorum ſe prodere mendacium, vt enim demus omnes de autographo locutos,non rectè dicuntur mentiri, ſed falſum dixiſſe, cuiuſcunque tandem erroris occaſione, ſed tu Theologiæ minus peritus, inter falſum, & mendacium non diſcernis, (ſynonima hæc fortaſſe in tuo ſynonimorum libello Panormi edito cenſentur) & de viris optimæ notæ mendacij vitium in re graui præſumis.Reprehendit Inchofer quendam Anonimum tui ſimilem, qui id Gotho affinxerit, *nec quippiam,* ait, *ſimile narrat Gothus, ſed ex ſuo præter morem, & ingenium affingit Anonymus.* Hæc tu cũ in Inchofero legeris, ſine dubio contra mentem impingis Gotho, proinde rectius in te regitur nota mendacij, ſi ſine reſpectu ſcribere licet. Crede demum Inchofero,qui eatenus negat id à Meſſanenſibus affirmari, vt vulgò etiam deprædicari, vel quod Anonymus ait, iactari velit, additque, *peruerſum eſſe, qui ſanè intelligenda prauè detorquet, vel planè leuem, qui non doctis credat.*

§. XX.

GRæcum exemplar *è Byzantina Bibliotheca attuliſſe Laſcarim dixiſſe nonnullos,* ab Inchofero narrari rectè di-

cis, multa tamen, quæ hinc Inchofer acutè coniectando deducit, malè præteris, eundem verò narrare, nunquam Laſcarim Conſtantinopoli manuſcriptum aliquod de hac re aduexiſſe, ſed ſubdubitare solùm, an exempli veritatem ibi inſpexerit, ex tuo dicis, an falſò, an mentiendo, tu videris. Vt enim Græcum exemplar à Paulo Apoſtolo conuerſum, quemadmodum ferebatur à nonnullis, neget Inchofer, de allato tamen Conſtantinopoli manuſcripto à Laſcari nihil habet, cognitam duntaxat ab eo Conſtantinopoli famam Epiſtolæ, deinde verò Meſſanæ traditione tantùm, ac religione recognitam Latinè euulgaſſe, vt exteris etiam, Septentrionalibus puta, innoteſceret, nonnullorum ſententia ſcribit. Tu, Pirre, latinè non intellexiſti. Subdubitat porrò non de autographo, ſed de exemplo in plura exemplaria propagato, quo tempore in Concilio Epheſino Theodoretum Cyri Epiſcopum, huius authoritate Epiſtolae preſſum argutè, non diuinando, ſed quantum à ſignis coniectari licet, arguit. Ea tum exemplaria non vno hæſiſſe loco, ſed exemplum tandem Conſtantinopolim ad Theodoſium, eiuſdemque ſororem Pulcheriam Auguſtam delatum; quo poſtea Conſtantinopolitanis quoque ſacrarijs, ac Bibliothecis foret ornamentum, varijs, & præclaris coniecturis expendit. *Vnde tandem,* ſubdit, *Conſtantinus Laſcaris accepta illic quoque (Conſtantinopoli) à maioribus fama ſi non exempli veritatē Meſſanā veniens, vbi iam genuinum B.V. ſcriptum iniuria temporū, vel auerterat, vel occultauerat, traditionem traditione confirmaret, ciuium religionem exaugeret.* Vide porrò, quàm ſis ignauus, Pirre, cùm Inchoferum nulla coniectura ſubdubitare perperam dicis; nam vt præteream eo modo loquendi, velut per parentheſin intericcto, non neceſſariam fuiſſe aliam coniecturam, quid toto illo capite magis agit, quàm vt exquiſitis quibuſque coniecturis, proximè ad verum accedat, vt ſapientum lectorum animos penè neceſſaria quadam conſecutione flectat in ſuum ſenſum; idque toto ferè libro in re multis diſceptata, ac difficili, ita dex-

trè agit, vt quod multorum ſapientum paſsim iudicium fuit, tantum non demonſtrare vbique videatur: idque penè in prouerbium verſum, *Inchoferum eloquentia ſua, & argumentorum artificioſa tractatione id præſtare, vt in eius libro multa, quæ rationibus ſingulatim ſumptis minus probabilia ſunt, eius tamen ſtylo ducta conuincere videantur*, falsò ergo, & inuidiosè dicis, Pirre, Inchoferum ſine coniectura agere, idq; frequentiſsimè ſolere, ſcilicet aut non legiſti totum librum, aut non intellexiſti.

Iam ante Conſtantinum Laſcarim neminem auctorum huius Epiſtolæ meminiſſe (ſi Flauium Dextrum excipias) fateri ingenuè Inchoferum dicis. Ego verò magis ingenuè fateor, te aut imponere, aut neſcire latinè; non enim id Inchoferi eſt dictum, ſed aduerſarij, cuius ipſe argumentum affert capite decimo ſexto, vndecimo loco, at deinde ſoluit capite trigeſimo ſecundo: & quamquam id ſentiret Inchofer, ſi à Flauio Dextro diſcederet, tuum tamen non erat tam licenter in veritatem impingere Ceterùm & hic iterum manifeſtum euadit, qua fide à te cetera aſtruantur.

Pergis, *ipſum Laſcaris autographum latinè ſcriptum, vbi occaſionem Epiſtolæ enarrat, nec habet Meſſanenſe tabularium, ait Inchofer, qui illud perquiſiuit, & furto ſubreptum credit.* Nollem te toties, ac imprudenter impingere, Pirre, vt ego toties dicere cogerer, te aut decipi, aut neſcire latinè. Inchofer illo capite trigeſimo, quem tu citas, planè è diametro contrarium dicit. Verba eius ſunt hæc. *Itaque Gothus non Hebraicam, aut Græcam, ſed Latinam Conſtantini verſionem perhibet aſſeruari; idque certius eſt, quàm vt recenti fama circundetur, nec aliter Gothum accipiet, qui Italicè nouit, vt iam vernaculæ linguæ inſolenter quiſpiam ſit ignarus, niſi de more, quo animo, Latina, Græcaue tractarit, eodem & materna* (ſi materna dici poterit) *tractare didicerit, & tolerabilius profectò ſit Grammaticam, quàm fidem fallere.* Hæc Inchofer, quæ ex parte præclarè in te ſedent. Quid ais, Pirre? rubore ſuffunderis? Itaque Inchofer non latinum Laſca

ris autographum, ſed Græcum exemplar credit furto amiſſum, nec aliud magis toto ferè eo capite ſuadet, quàm latinam extare verſionem, Græcum exemplum deſideratum, quando multa monimenta in Tabulario poſt tempora quoque Laſcaris manſiſſe, ſibi à viris grauiſsimis narratum ait, manſuraq; fuiſſe, quoad carioſæ vetuſtati conceſsiſſent, niſi hominem aliquando admiſiſſent, qui longiorem illis ætatem inuidiſſet. Satis enim certa memoria conſtat (ad hoc ipſum fortaſſe alludat Inchofer) Archiepiſcopum Lombardum iuſſu Romani Pontificis perquiſiuiſſe aliquando Meſſanenſe Tabularium, adhibitis in rem Canonico D. Franciſco Flaccomio viro erudito, D. Nicolao Antonio Coloſſo, ac Ferrauto inſigni medico, Græcè, Latinèque peritis, & hos intento inter alia ſtudio in Partenographium, incidiſſe in librum ſpecie vetuſtiſsimum, in eoque offendiſſe Virginalis Epiſtolæ exemplar Græcè ſcriptum, quod reuerenter habitum, impreſsis tenero quodam ſenſu pietatis oſculis, ſartum tectum ibidem reliquerunt, nec amplius forte viſum, quando illa fortaſſe occaſione, quam narrat Inchofer, vltimum in Tabulario manſit. Teſtis horum eſt pius, & experiens Sacerdos D. Ioannes de Scala, S. Iuliani Viceparochus, idq; non ſemel ex Canonico Flaccomio, quocum familiariter vtebatur, ſe accepiſſe, vel iuramento, ſi res ferat, teſtaturus.

Quàm verò præclarè hæc alia ſubnectas, Pirre, viderit, qui tuam inconſiderantiã deprehenderit. *Crediderunt verò,* ais, *alij de induſtria ſublatum, ne quid fortè deprehenderetur, vt in re ſimili factum ſcio à Meſsanenſi quopiam, qui Priuilegium, quo Meſsanenſis Præſulatus in Archiepiſcopatũ euectus eſt, abſcondit, ne quis in illud incidens detegeret, quæ multi in eius dignitatis origine mentiuntur, atque inde conſtaret temporibus haud dudũ elapſis, eam dignitatem Præſules Meſſanenſes fuiſſe conſequutos.* Iocaris, Pirre, ſed inſulſè; neque enim dixero te virulenter pungere: iocabor & ego, ſed ſine aculeo; neque enim id merentur plumbei ſales tui. Ecquis tibi

credat

credat de Meſſanenſi illo ignoto, ſine vlla probatione, vt ſoles, comminiſcenti, quando quæ de dictis, & factis Inchoferi, cuius librum vidiſti, & legiſti, tot mendacia vno penè flatu indefeſſo effutias. Quid verò in loco magis intempeſtiuè, & imprudenter, ne dicam impudenter, dici queat, quàm mordaciter impudentiæ inſimulare alios, quaſi crediderint exemplar Græcum Epiſtolæ ex Tabulario Meſſanenſi, *ex induſtria ſublatum*, *ne quid forte deprehenderetur*. Cedo, à quo *ſublatum*? à Meſſanenſi dubio procul dixeris. O leuitatem. Meſſanenſis Græcum exemplar ſuſtulerit, ſcilicet vt gloriam Vrbis ſuæ infringeret? quin potiùs aliunde rapuiſſet, ſi inueniſſet, nedum ex Tabulario Meſſanenſi ſuſtuliſſet. Quid verò illud, *ne fortè deprehenderetur*? ſcilicet, quòd Meſſanæ præiudicium inferret: vnde, quæſo, tam anxiè, & ſollicitè id metuis ex Græco exemplari Virgineæ Epiſtolæ, quam hactenus nequicquam impugnas, & extinctam velles? tam repente conuerſus es, vt credas fuiſſe, ſed ſublatum furto, ne quid fortè deprehenderetur, quod, vt dicebam, Meſſanæ præiudicium inferret. Quodnam præiudicium, per Deum immortalem, de Primatu nimirum Eccleſiæ Panormitanæ, & de recentiori Archiepiſcopatus Meſſanēſis dignitate? hoc enim elicitur ex ſubiecta tua præmiſſa, an fabula. Ridete, quæſo, aut ne diaphragma diſſileat, riſum tenete, ſcilicet in illo Græco exemplari, quod Pauli Apoſtoli verſio dicitur eſſe, Paulus Apoſtolus de antiquitate Archiepiſcopatus Panormitani egit, tum inſtituit, tum de Regni Capite tranſegit, imò hoc ipſum ex B.V. Epiſtola, quam in Græcum conuertit, ſemel conſtituit. Sed ne plura, ne riſu rumpamur, quando tantus hinc aperitur ludendi campus, cui nec Scenæ, nec Theatra Heliogabali ſufficiant, verbo concludam, Meſſanenſes ex recentiore Innocentij Canone, *cap. Quod translationem. de offic. Legat.* maiora longè, ac certiora habent, quàm vt de tui Præſulatus antiquitate, vel dignitate ſolliciti, & anxij eſſe debeant.

Verùm dum hic inſcitè iocaris, an nugaris, Pirre, inconſideratiùs

ſideratiùs etiam agis, dum Fratrem Hieronymum Sauanorolam in ſcenam producis, & Pontificis iuſſu combuſtum ſcribis, odioſè ſanè, quādo etiam inducis Epiſtolam à B. V. ad Florentinos miſſam, eum pro concione dixiſſe, quaſi ſupplicium viri cum hac concione connexum eſſet. Hinc etiam obliquè pungis Meſſanenſes. De mortuis parcè loquendum, & ſi Theologicè ſapis, ſemper in meliorem partem; nec ſine magna neceſsitate ingerenda, quæ famam lædunt; quæ te verò neceſsitas cogit hoc loco ad impropetandum? Citas pro tua re *Antonium Senenſem* in Bibliotheca Prædicatorum authorum; commune id tui ſimilibus, præſertim Franciſco Baroni, qui toties ingerit Octonem Frigienſem, vt neſcias, de quo loquatur, de Aborigine, an Scytha, cùm alioqui notus ſit author Otho Friſingenſis, ſed illi ne viſu quidem, auditu tantùm malè perceptus. Cetera tu Sixtū Senenſem nominaris in Bibliotheca, qui tamen quàm honorificè loquatur de Hieronymo Sauanarola, vna cum Ioanne Franciſco Mirandolæ Principe, qui eius vitam conſcripſit: ſi authores ipſos non legiſti, diſcere poteras ex Inchofero, cap. xxj.

Quod vltrò huc ſpectat, ex illa etiam Conſtantini Laſcaris narratione in prologo, quam tu inſeris, erudiri debebas, non de Græca, ſed de Latina eiuſdem Laſcaris verſione agi: quamquam poſtrema eius verba rectè dicat Inchofer, ab exceptoribus addita, nec tu negabis, niſi in calumniando obfirmatus eſſe voles.

§. XXI.

ALiam deinde alios Meſſanenſes longè diuerſam prætendere occaſionem Epiſtolæ Virginis ad effugiendas nempe difficultates, quibus prima narratio inuoluitur, refers ex Syluestro Maurolyco apud Inchoferum, & ex Bartholomæo

tholomæo Petracio, hanc verò ſecundam narrationem à dicis *oſtendere Meſſanenſes in Traditione de his literis, quam tantopere iactant, conſtantes non fuiſse, ſed alios aliò abiiſſe, vt à difficultatibus primæ narrationis ſe ſe expedirent.* Erras iterum, Pirre, ſicut plerumque, dum ſophiſmata plectis: num ego te dialecticen doceam? aliud eſt non eſſe conſtantes Meſſanenſes in ſua Traditione, aliud alijs atque alijs narrationibus eius firmitatem ſtabilire. Primum omninò falſum eſt, nemo quippe Meſſanenſis vnquam de hac Traditione dubitauit, quam pueri cum lacte nutricis hauriunt. Alterum verum quidem eſt, ſed veritati indagandæ nihil officit, niſi tu iam plurima è religione velis tollere, quæ cùm certa ſint, non vno tamen modò, ſiue hiſtoricè, ſiue dogmaticè explicantur: nobis de hiſtoria res eſt, ſed varijs narrationibus inuoluta, quæ ex his verior, iudicio ſapientum illa ad ſtabiliendum aſſumenda.

Sed oſtendis te Inchoferum ne legiſſe quidem, nedum rectè nouiſſe expendere: quot enim ille eruditis, & exemplis, & hiſtorijs ſacris, & profanis lectori quidem ad ſatietatem, ſed ſapientibus ad admirationem oſtendit diuerſitatem narrationum non obeſſe traditioni, aut ſuſceptæ alicui veritati, quæ in aliquo loco, Regno, aut Diœceſi religionem memoria antiquiorem habet. Diſcas enimuerò ex Inchofero primum, & deinde ſi quid occurrerit opponendum prudenter ediſsere, ne captioſus ſophiſta audias, dum à non cauſa, quod dicitur, vt ad cauſam argumentaris, à diuerſitate ſcilicet narrationum ad inconſtantiam Traditionis. Eodem errore implicantur hæc tua dicta ſequentia. *Hanc ſecundam narrationem, ne nutantem traditionem fateri eſſet neceſſe, non recipit Inchofer modo laudatus.* Erras, Pirre, non id facit Inchofer, quaſi nutanti Traditioni metuat, ſed vt ad conſtantiam traditionis viam magis directã, & expeditam, quantum in ſe eſt, inueniat. Nec verò in prima narratione ſic conquieſcunt, vt ſi certiora affulgeant, iis non ſubſcribant Meſſanenſes, quin & tibi gratias acturi,

ſi meliora afferas, quod tamen vel ex hac cauſa, ſi vlla alia, facturus non es, quòd Inchoferum non intelligas.

In prima ergo narratione vis Meſſanenſes conquieſcere, ſed quàm incommodè, mox oſtenſurum te promittis; ego verò libenter id ſum viſurus, vt tecum pluribus agam, nec tuos errores diſsimulem. Interim tamen velim intelligas (quando exempla, & hiſtorias ab Inchofero narratas, vel non legeris, vel non intellexeris) non rectè quempiam eò negaturum Panormi haberi, & coli Diuam Chriſtinam Vulſiniam, aut Tyrenſem, quòd authores grauiſsimi diuerſas de ea texant narrationes, acta verò Panormi de eadem ita confuſa ſint, vt quemadmodum loquitur Ferrarius emendatione egeant, quòd deniq; inter alios Rocchus Pirrus in ſuis Notitijs, in quibus præſumitur omnia diligentiſſimè de ea perſcrutatus fuiſſe, longè magis, quàm nunc Inchofer, aut quiuis alius de Epiſtolæ Virginis autographo, in ſublimis, & ſcrinijs Tabularij Meſſanenſis fecerit, Rocchus, dico, Pirrus nihil certi de ea conſtituat, ſed leuiſsima narratione prætereat, ex hoc inquam non rectè negaturum quempiam Panormi verè eſſe eius Diuæ reliquias, aut affirmaturum alienas pro ijs coli, & circumferri.

§ XXII.

MAgno deinde apparatu ingrederis ad oſtendendam falſitatem Literarum, attexens difficultates à parachroniſmis, & annorum perturbationibus. At quis hactenus in ijs difficultatibus afferendis, & expendendis magis eruditè, ac diligenter verſatus eſt Inchofero? ex quo cùm tu nonnulla quaſi tua, vt eruditus, & multæ lectionis videaris, truncatim, nec cohærenter decerpis, actum agis mi Pirre. Porrò inter multa, quæ Inchofer partim coniecturis, partim certis hiſtorijs adſtruit, vltrò etiam das ipſi D. Paulum in Orientem ex Hiſpanijs, & Roma redeuntem fretum Ma-

mertinum

mertinum enauigaſſe, *quod tamen, ipſe probare non poſſet*.

Alibi ſubmurmurabas, *Inchoferum nulla coniectura quiddam à ſe dictum probare*; nunc ais, *probare non poſſet*, id ſcilicet, quod coniecturis penè vrgentibus, ſi intellexiſti, ipſe pro re ſua contendit. Vbi enim hiſtoriæ non ſuppetunt, facti alicuius conſtantiam ex coniecturis pendere nó ignorant ſapientes, quis verò, vbi res poſcit, pluribus, & magis idoneis coniecturis veritatem rimetur Inchofero, dici vix poteſt: ſed tu Chryſoſtomum etiam carpere auſis, cum interdum in hac eadem penè materia ſubdubitantem legas. *Cum biennium* (inquit) *Romæ egiſſet Paulus in vinculis, tandem dimiſsus eſt, deinde in Hiſpanias profectus* (in verſ. ille, Iudæos quoque) *ac tunc fortaſſe Romam reuerſus eſt, &c.* Quid ais Chryſoſtome, *fortaſſe*? dicet enim Rocchus Pirrus te id nulla coniectura probare; ſed nec probare poſſe, dabit tamen id tibi vltrò, vt ſuo faueat inſtituto.

Multa Inchofero vltrò concedis, nimirum, quæ negare non potes, quamuis ſine vllo authoris ſuffragio, nunc demum ſapientibus, coniecturis, opinor, & rationibus ductus. Miror verò, cur in omnibus authoritatem quæras, ipſe vel raris, vel certè falſis ex arbitratu authoribus incedens. Sed ad alterum progrederis latiori campo exagitandum, antea tamen in Bonfilium grauis es, quod Italiã pro Attalia legerit: Inde acceſſum Pauli in Italiã coniecturus, quaſi tu cum errorem innoxium primò deprehenderis, & non ex Inchofero ſurripueris, vt triumphares. Plura ille eiuſmodi ſignauit, ſed procliuem lapſum etiam Coſmographiæ peritis in re ſimili, eruditè oſtendit, modeſtè tamen, non iniuria in eos, qui forte errasſent.

§. XXIII.

ALterum igitur eſt, quo anno dies obitus Deiparæ Virginis definiendus. Hic tibi nimium laborem faceſsis

Pirre, in colligendis iuxta variorũ putationes annis. Eas ex Inchofero habes, quamuis diſsimulas, quid tum? Inchofer etiam ex alijs habet; ſed tibi peruidendi erant authores recentiores quidem, ſed omni exceptione maiores, qui antiquiorum calculos ad momenta expenderunt. Erras tamen, dum authorem innominatum (ſi hunc fictum Euſebium putes, & à Baronio reiectum) quarto ac quadrageſimo Chriſti anno defunctam Deiparam ſenſiſſe dicis; erras & in reliquis, ſed minutè, minutus etiam es, qui celebrem de ſexageſimo tertio ætatis Deiparæ anno ſententiam, in medium non adducis. Quid verò tandem, ex his calculis elicis?

Neminem (aïs) *reperio, qui Virginis annos produxit vltra vigeſimum quartum à Chriſti paſſione annum, eamque notunt, qui Deiparæ ætatem ad ſeptuaginta duos, vel tres prouectã ponunt, cum ergo Pauli in Italiam nauigatio in annum Chriſti quinquageſimum nonum, qui eſt vigeſimus quintus à Chriſti inciderit, iam ante illum ſuum obierat diem Deipara, nimirum decimoquinto Auguſti, vel anni præcedentis, vel etiamſi ita lubeat, eius ipſius anni.* Hæc ex tuis.

Gaudeo ſanè te melius ſentire cœpiſſe ſcriptoribus tuis; qui hactenus, vt vrgerent, Virginem multis ante annis diem obijſſe, quàm legatio Meſſanenſium ad ipſam adornari potuerit, multis, & perfrictè contendebant, id propter ſuppoſititias etiam anni quadrageſimi ſecundi notas pro-bro habentes. Tu iam accedis ad annum ſeptuageſimum ſecundum, vel etiam ſeptuageſimum tertium, etſi vel hoc ipſo tempore iam è mortalibus exceſsiſſe, pro vero habeas, atque inde vim argumenti tui, nulla ratione elidendum arceſſas, ſecus forſitan dicturus, ſi animo plura retractes, nec ad pauca reſpiciens facilè enunties.

Plurium eſſe ſententiam de anno ætatis Virgineæ ſeptuageſimo ſecundo, vel tertio non me fugit, & quidem hanc eſſe probabiliorem cæteris, quæ pauciori interuallo claudunt, eruditè demonſtrat Inchofer. Quin verò plures anni

eſſe

Digitized by Google

eſſe queant, nec tu, nec alius quiſpiam hactenus oſtendit, & iuuat probabilibus coniecturis veriora rimari, quæ præſertim congruis ad Virginis prærogatiuas rationibus accedunt, quas quidem multis vrget Inchofer elegantiſsimè, nec tu eas exhauris, vel in minimis, quamuis leuiora quædam nec ab ipſo magni æſtimata in medium adducas, vt aliquid dixiſſe videaris; oportebat verò te ad ſingula reſpondere, vt appareret lectori, quæ vis ineſſet, non tam ſingulis ſeorſim, quàm vniuerſis collectim, id quod præſtandum eſt, vbi coniecturis, & rationibus itur ad caput veri, vt loquitur Inchofer, nec ſuppetunt ſuffragia authorum, quibus non omnia dum ſcriberent, innotuerunt, quia nec è re erat, vt omnia retractarent.

Non eſſe autem ſingularem opinionem Inchoferi, vel ex eo liquet, quod plures alij Virginis ætatem vſque ad nonageſimum annum produxerunt. Refert illos Biuarius, quamuis cùm ſine teſte ſint, nolit eſſe audiendos, at rectè Inchofer, *ſæpe*, inquit, *ſine teſte, ſi ratio militet ſe ipſam roborat coniectura veritatis*, alioqui nec omni teſti facilè ſemper credendum, niſi rationem à ſe habeat. Quare ſi tu Inchoferi ſententiam ſingularem voces, quaſi ab alijs minimè, diuerſo quamuis inſtituto, cogitatam, næ, quid ſit ſingulare, videris ignorare; ſi ex eo, quod noua ſit, in crimen accerſas, profectò tu ſingularitatis notam non effugies, qui in tuis Notitijs plura ab alijs minimè vnquam cogitata interſiſti: agnoſces ea ſuo tempore. Sed ne ex te ſuffragium argumenti petam; multa olim viſa ſunt noua, quæ ſucceſsu temporis ſtudio, & vſu emollita, opinione, imò & fide apud vniuerſos inualuerunt, plura hic afferrem, niſi in nimium notis abundare tædium eſſet. Tu ſi diligenter legas Inchoferũ, doceberis. Quod huc ſpectat Euodij ſentẽtia in ſimili (quod notat Baronius in Appar.) nondũ alicui antiquorũ innotuerat, innotuit tamen poſtea recentioribus, & in multis arriſit. Quod ſi tum quiſpiam præferuidè iactaſſet, nouam eſſe, proinde repudiandam tanquam ſingularem, num iſte im-

prudentis ſimul, ac ſingularis vocabulum circumijſſet? Tibi tamen aliunde etiam præcipi poteſt, vt magis ad Dialecticæ normam argumenteris. *Neminem*, inquis, *reperiri, qui Virginis annos produxerit vltra vigeſimum quartum annum*: ſimile quippe hoc eſt authoritati negatiuæ, à qua non procedit argumentum ad efficaciter concludendum, alioqui iterum retorquebo, multa me in tuis Notitijs legere, quæ neminem reperio cogitaſſe, nedum dixiſſe, aut ſcripſiſſe.

Deinde noſſe etiam debes eam annorum latitudinem, non eas præſcribere metas, quin paulò magis excedere queat, præſertim, ſi veritas aliorum authoritatibus nō intra certos limites, & qui præteriri nequeant, conſtituta reperiatur. Quis enim vnquam authorum cauit, aut cauere potuit in ſeptuaginta duobus, aut tribus annis ſiſtendum, vt citra crimen vltrò progredi nemo queat. Certè S. Antoninus; quem tu apud Inchoferum legere debebas, aut ſi legiſti diſsimulare non deberes. *In huiuſmodi*, inquit (loquitur autem planè in re præſenti) *licet vnicuique in ſuo ſenſu abundare, & opinari, quod ſibi magis videtur conſonum rationi in ijs, quæ Eccleſia non determinauit.* Quid ad hoc, Pirre? vereor ne ſingularitatis arguas Antoninum, qui Inchofero arripiendæ dictæ opinionis occaſionem fecit.

Vis te tua ipſiuſmet putatione implicem? Affers ex Io. Baptiſta Pozza Caetanum (quem tu non legiſti) afferentem, Deiparam cum pareret annos agentem quinos, ac vicenos, igitur opinio Inchoferi non eſt tam ſingularis, vt authoritate careat, & tibi malè diſcernenti non impingat; ſed quamuis id detur Inchofero, nihil illi prodeſſe putas; cur? *nam in hac opinione viginti quatuor anni à Chriſti Cruce Deiparæ tribuuntur; at verò Inchofer viginti ſeptem, aut octo annos aſſerit, ſcriptorum ergo ſuffragio, imò etiam laude, ac memoria caret Inchoferi opinio de annis ſeptuaginta ſex, quorū viginti octo circiter poſt Filij Crucem in terris exegerit.* Hæc tu, Pirre. Sed profectò magis, ac magis ridiculus euadis;

nam ſi ij, qui affirmant B. Virginem peperiſſe anno vigeſimo quinto, vna etiam tenent ſuperfuiſſe morienti nato annis viginti quatuor, continuò ſequitur iam in terris annos egiſſe octuaginta tres, aut etiam quatuor. Quid enim ſi annis vigintiquinque ante partum addas triginta quatuor, aut iuxta multos triginta quinque, quibus cum filio vixit, his verò vigintiquatuor quibus illa ſuperſtes fuit, nonne neceſſariò exeunt octuaginta tres, aut quatuor. Quid ergo Inchofero inſultas, ſi annos tribuit ſeptuaginta ſex, quamquam ille ſeptuageſimum ſextum expletum nolit. Vides quàm nihil potueris, Pirte; at inquis, *Inchofer viginti ſeptē, aut octo annos numerat Virgini à Chriſto ſuperſtiti*: quid tum? an non parciùs id, & longè ad rem moderatiùs, quàm viginti quinque annos tribuere parienti? non ergo, vt tu putas, ſuffragio, imò etiam laude, ac memoria caret opinio Inchoferi.

§. XXIV.

Rectiùs feceris, ſi ita inſiſtas, vt primum cœpiſti. Inchofer quindecim annos, aut circiter adſcribit Virgini parienti, quatuor, ac triginta cum Chriſto in terris viuenti; à quibus numerando ad annum quinquageſimum nonum, quo primum ponit Paulum in Italiam nauigaſſe, atque adeò Rhegio Meſſanam potuiſſe venire, vigintiquinq; fluxerant anni, vnis verò ab obitu Deiparæ, quæ non niſi viginti, ac quatuor annis vitam à Chriſti morte produxit, proinde non potuit ea legatio inſtitui, quam Meſſanenſes audito Paulo conuerſi, dicuntur ad Virginem adornaſſe, & ab ea Epiſtolam tanta religione commendatam accepiſſe.

Quo loco, ſi ego tibi necem Chriſti ſignarem anno ætatis trigeſimo quinto, ac inde numerarem annos viginti quinque aduentus in Italiam Pauli, vt is in ſexageſimum à Chriſto incideret, facilè te præterirem; ſed nolim à com-

muni

muni, & magis certa opinione eorum diſcedere, qui nauigationi Pauli non inchoatæ, ſed propè ad finem productæ, annum ſignant quinquageſimum nonum: quo dato, vnde habes B. Virginem non produxiſſe ætatem, niſi ad annum vigeſimum quartum? quia multi authores non vltrò producunt, & multi etiam affirmant longè ante diem mortalem clausiſſe; ſicut autem iſti nulla probabiliori ratione ſubnixi, imò falſi, prætereuntur, ita in illorum ſententiam nemo iurauerit; noſti, opinor, ab authoritate negatiua patrum, aut nihil euinci, & paulò ante audiſti, quæ S. Antonini hac in re eſt probata ſententia; *licitum cuique eſſe in ſuo ſenſu abundare*, dum (vt intelligi debet) probabili rationi innitatur, eiuſmodi verò ſunt rationes Inchoferi, quas tu hactenus vel vltra vires conatus euertere non valuiſti.

Quin tu vltrò das, *B. Virginem eo ipſo anno, ſcilicet quinquageſimo nono, ſi ita lubeat, nempe Auguſti die decimoquinto migraſſe*: ſed quem inde diſcurſum ducis, ſatis oſtendit te valdè ridiculis coniecturis incedere ad rationes concludentes. *Nemo*, ais, *opinor volet Deiparæ obitum D. Paulum latuiſſe; quis enim credat, cùm ad Virginis funus procurandum multi accurrerint per nuncium ſaltem ante cæptam nauigationem Nouembri, aut etiam Decembri id doctum non fuiſſe? quanam ergo ratione in animum quis inducat authorem D. Paulum fuiſſe Meſſanenſibus, imò comitem legationis ad Virginem eo anno deſtinatæ, quo primùm in Italiam veniens Siciliam vidit.*

Quàm multa hic inuoluis, Pirre, quæ ſi Inchoferum diligenter expendiſſes, euitare potuiſſes. Nam cùm concedas Virginem abiiſſe quinquageſimo nono anno, quo primùm Paulus Siciliam, atque adeò Meſſanam vidit, cum id menſe Maio contigiſſe ſapientiores velint, hinc deducit Inchofer (*pag. 28.*) nemini dubium eſſe poteſt, tantum intercesſiſſe temporis ad decimum quintum Auguſti diem, vt facilè legatio inſtituta Hieroſolymam ire, ac Virginem adorare, Epiſtolamque protectionis repromiſſæ teſta-

iiii tricem

Digitized by Google

tricem recipere potuerint; qui miſsi fuerant, etſi fortaſsis nondum eo tempore Meſſanam remeare. Quin tu hinc plura admittere etiam cogeris, vt Meſſanenſes interfuiſſe B. Virginis funeri, facilè aliorum mentibus ingeras, quod tamen ipſe nolis, neque ego magnopere laboro. Vnum te duntaxat monitũ volo, cuicunq; anno ex ijs, quæ opinione tenentur, Chriſti mortem defixeris, tuum calculum inconſtantem eſſe, ſi trigeſimum tertium aetatis completum putes, non iam vigeſimo quarto Virginis inde ſuperſtitis anno, quinquageſimum nonum Chriſti, ſed ſeptimum dabis, aut vigeſimo ſexto quinquageſimum nonum aequabis, ſi trigeſimum quartum completum ſumas, adhuc viginti quatuor ſuperadditis, obitum Virginis non apprehendes, plures ſanè menſes addendi veniunt, adeoque vigeſimus quintus annus adulto iam curſu, diem pandet: non ergo adhaerendum annis viginti quatuor tanquam ſcopulo, quem qui aſſumpſerit, populariter tantum, & quod dicitur Aſtronomis platicè numerarit, proinde ſi quiſpiam exactiori vſus ſit calculo, multaque prudentibus coniecturis poſuerit, ex quo conſecutione quadã neceſſaria paulò vlterius progreſſus ſit, non poteſt meritò accuſari, niſi ab ijs, qui pauca conſiderantes facilè enunciant.

Quare conſultius dubio procul fuerit, Inchoferi coniecturam ſequi, donec certiora affulſerint, quae hactenus extũa diſſertatiõe non habemus; nam cùm Inchofer Traditionem tamquam certam de Epiſtola Virginis ſumpſiſſet, vt varias narrationes dubias conciliaret, non ſine ratione calculum auxit, vt probabiliora ſectaretur. Ac ſicut pleriq; pauciores annos Virgini poſt Chriſtum ſuperſtiti praefixerunt, antequam, quæ de Dionyſio Areopagita Virginem inuiſente narrantur; ad animum reuocaſſent, tunc enim primùm numerationes ſuas augere, atque ad vigeſimum quartum annum producere populariter duntaxat inſtituerunt: Ita Inchofer & horum rationibus diligentius expenſis egregiè cenſuit, non eſſe præter religionem, vel ſi huius

H Epiſtolæ

Epiſtolæ Traditio minimè vrgeret, eam ætatem alijs de-cauſis (prope dicam ſexcentas affert) paulò excedere.

Poſt multa porrò, quæ in hanc rem in medium affert Inchofer, his ferè concludit. *Poſtrema ex acceſſu Dionyſij ratio eiuſcemodi eſt, quæ ſi Virginis ætatem ad ſecundum ſupra ſeptuageſimū annum extendat, cur non etiam vlterius citra flagitium proferre queat non apparet; nam quòd quinquageſimo ſecundo Chriſti anno lumen fidei primùm aſpexit Dionyſius, deinde verò triennium à Paulo edoctus, ab eodē, illo temporis ſpatio, quocunque greſſum mouiſſet, ne latum quidem vnguem ſeiungeretur, probet fortaſſe non ante ſeptuageſimum, vel vt Baronio alijs de cauſis placet, non ante ſeptuageſimum tertium Virginis annum Hieroſolymis adeſſe potuiſſe, quin tamen ſerius poſtmodum, eoque ſæpius accedere potuerit, non euincit, idq; ex initio poſitis à nobis luculentius eſt, quàm vt amplius declaretur.* Hæc Inchofer, ad quæ tu ne gri quidem.

Pergis porrò, vt argumenta Inchoferi arietes, at quae? quæ ſcilicet ille non ad rem concludendam, ſed duntaxat congrua quadam alluſione, vt fieri ſolet, adduxit. Eius verba tu ſic recitas. *Apprimè congruit Virginem diutius in terris commorari, vt præſidio eſſet fidelibus, quos paucis poſt annis Hieroſolymitanum excidium terrere ſaltem poterat, niſi multis futuræ calamitatis præſagijs edoctos Virgo in cælum migratura ſpe meliore ſubleuatos reliquiſſet.* At verba Inchoferi ſic habent. *Quia modum coniectationis, vt cum Lactantio loquamur, ſupergredi cupientes, libenter aſſerimus, apprime congruiſſe Virginem diutiùs in terris commorari, vt quæ paulò ante Magiſtra Magiſtrorum (ſic enim loquitur Rupertus) inſtructioni fuit Apoſtolis, poſt ſeceſſionem horum, itemq; aliquorum pro fide perniciem, præſidio eſſet fidelibus, quos præſertim paucis poſt annis excidium Hieroſolymorum ſi non inoluere, terrere certè poterat (vt nihil dicam de perſecutionibus imminentibus) niſi multis futuræ calamitatis præſagijs edocendos* (non edoctos, vt tu falsè ſcribis) *Virgo in cæleſte regnum migratura, ſpe meliore ſubleuatos reliquiſſet. Hanc fortaſſe etiam ob cauſam alij*

quoque

quoque Virgineæ commorationis in terris ſpatium, ad octuageſimum, imò nonageſimum annum produxerunt.

Hæc Inchofer, ijs connectens, quæ paulò ante dixerat de annis Virginis ſeptuaginta duobus, ſi vera ſunt, ex quibus ij tantum anni concluduntur, vt proinde quadriennij prope ſpatio Virginis ætas queat extrahi, ſi non ad pauca duntaxat aſpiciamus, ſed modũ coniectationis ſupergrediamur.

At tu reciſcè, & truncatim, quàm falsè recitas ſententiam Inchoferi, iudicet lector, & ex ijs coniecturam ſumat de ceteris, quæ ex fide tua petuntur, & quàm lubricè, & ſine reſpectu ſolitus ſis verſari in tuis Notitijs, vbi, quæ exiſtimationem multorum tangunt, tam proiectè tractas, & tuæ fidei illudis. Verba Inchoferi prolata, vt ſcripta ſunt, & moderationem habent à prudenti ſcriptore adhibitam, & ad probandum in genere coniecturæ magnam efficacitatem, quatenus ab ipſo connectuntur: quatenus verò à te corruptè proferuntur, vix vmbram eius probationis, quæ prætenditur præ ſe ferunt Nolo ſingula exaggerare; conferat ſingula lector, & dijudicet, neque enim vnum ſolum verbum falſificaſti, ſed plures ſententias, ſenſumque peruertiſti immemor propoſiti tui, qui initio verbis Inchoferi afferendis fidem haberi volebas, tanquam præclarè contra ipſum decertaturus, ſcilicet eo modo tibi fingis argumenta Inchoferi, quo tibi ſoluendo faciliora reddantur; ſubdis itaque. *Sed poſſum Ildelfonſum obijcere dicentem, nec diu hanc ſacratiſſimam Virginem poſt Domini aſcenſionem in terris potuiſſe remanere, quam deſiderant Angeli, cælum etiam ipſum de eius aſcenſione querebatur.*

Præclarè ſanè, quidquid ergo hactenus poſuiſti de annis viginti quatuor, abneges oportet, omnibuſque authoribus, qui in annos extrahunt ætatem Virginis à Chriſto aſcendente, bellum indicas, vt Ildelfonſi dictum, quod ipſe deuotionis quodam ſenſu abreptus protulit, nulla temporis differentia ſignata, ac metaphorica quadam oratione, cælum ipſum queri dixit.

 Sed

Sed enim, ſi ita licet argumentari, facilè quis dixerit. Chriſtum multis ante trigeſimum tertium, aut quartum annis in Cruce fuiſſe demortuum: quia de eo dicitur. *In quem deſiderant Angeli proſpicere*, vel vt in præſenti tractatione verſemur, citra temeritatem dicemus B. Virginem vnà cum Chriſto aſcendente fuiſſe aſſumptam. Quid ni? eam enim deſiderabant Angeli, cœlum etiam ipſum de eius aſcenſione querebatur. Quinimmò apprime videtur congruiſſe; & hæc prærogatiua Deiparæ Virgini, ne alius quiſpiam ſanctorum prius, quàm ipſa in cœlum reciperetur, & ſaltem ſecundùm te, vera erit illa ſententia, quæ habet, Virginem ab aſcenſione Filij poſt annum elapſum, & tot dies, quot intercurrerunt ab eo tempore vſque ad decimum quintum Auguſti eſſe defunctam, & quæ, hoc poſito, conſequantur, tibi vera erunt.

§. XXV.

VErum, ſentiſti te in Hiſtoria ſacra vacillare, ideò reuerſus ad animum ſubdis, *vt vt res ſit, quidnam inde eliciat Inchofer, ſeptuaginta ſex potius annos, quàm ſeptuaginta duos ferè expleuiſſe? Rem ſic conficit. Euodius apud Nicephorum docet Deiparam peperiſſe Ieſum in ætatis anno decimoquinto, atq; adeò poſt quatuordecim ſuæ ætatis annos, ac menſes tres, dieſq; ſeptemdenos, iam ſi is numerus adnectatur anno ſexageſimo ſecundo Chriſti, ſed, vt dicunt, cauo à quo ſcilicet deficiăt, qui menſes, ac dies intercurrunt à decimo quinto Auguſti, cum obijt Virgo, ad extremum Decembrem, cùm annus abſoluitur. ſeu quod in idem recidit, ſi annis quatuordecim, menſibus tribus, diebuſque ſeptemdenis addas annos ſexaginta vnum Chriſti, & ſeptem menſes cum dimidio vſque ad decimum quintum Auguſti, planè comperies Virgini defuiſſe dies vigintiquinque ad ſeptuaginta ſex annos explendos.* Hæc tu Pirre, ſed re vera, cùm & verba, & ſententiam more tuo mutaris, non intelligo, quid

velis,

velis, tu te ipſe videris quid dixiſti, & lector tecum; fortaſſe ex dicendis expiſcabimur mentem tuam.

Quod tamen initio obijcis, *quidnam inde eliciat Inchofer, ſeptuaginta ſex potius annos, quã ſeptuaginta duos ferè Virginem expleuiſſe*, ita redarguo, vt te ſophiſticè agere, perſtringã, nec enim ex illa coniectura verbis, & ſenſu à te deprauata. *Apprime ſcilicet congruiſſe Virginem diutiùs in terris commorari, &c.* ſed ex rationibus per multa capita adductis, nec à te intellectis, quibus tandem coniecturam illam congrue ſedentem addidit, ſeptuaginta ſex potiùs annos, quàm ſeptuaginta duos, aut tres, non vt tu oblitus tui ipſius *ſeptuaginta duos ferè* ponis Virginem expleuiſſe. Earum rationum tu ſummam ferè quandam ex ſupradictis colligere potes, ſi etiam memineris dicti S. Antonini ſæpius iam repetiti, *nihil in hac re Eccleſiam determinaſſe, & licere vnicuique ſuo ſenſu abundare*, Imò ſi etiam addideris dictum Baronij apud Inchoferum, rem ſibi inexploratam eſſe circa Virginis ætatem, quam tamen, ipſe ex conuerſione Dionyſij ſumma diligentia conatus eſt, perſcrutari. Verùm poſt relata mutilè verba, & perturbatum ſenſum verborum Inchoferi; ſic pergis.

Nihil abnuo Inchofer, ſed age iam vnde oſtendis, Deiparam in ſexageſimo ſeptimo anno obijſſe, hic maximè laborandum erat; nam (vt dixi.) nemo vitam Virginis protrahit vltra annum Chriſti quinquageſimum octauum, vel nonum, ſeu vigeſimum quartũ à morte Filij, ſed hanc rem, quã ſuadere maximè tenebatur Inchofer ſilentio inuoluit, quod profectò valdè mirum mihi accidiſſe fateor, vix enim mihi credo doctum hominem in adeò turpem, vt dialectici vocant, principij petitionem impegiſſe. Hæc tu Pirre.

Poſſem ex te quærere, vnde tu oſtendas, non vlterius eſſe producendam ætatem Virginis? nam quòd alij ad vigeſimum quartum annum duntaxat protulerunt, ex hiſtoria Dionyſij id definiunt, alioqui paucioribus contenti: neque tamen metam alijs praeſcripſerunt, vltra quam progredi,

cum

cum ratione minimè poſſent. Inchofer ſexageſimum ſecundum annum ſumpſit, non quia ex eo reſtrictè ſuum tueretur propoſitum de Epiſtola Virginis; ſed cùm hanc ex Traditione Meſſanenſium conſtantem accepiſſet, quamquam & authoritas Flauij Dextri nondum eneruata, à parte faceret, eò demum euaſit, vt ætatem Virginis plus minus ſeptuaginta quinque circumſcriberet, obitum ſexageſimo ſecundo Chriſti anno definiret, id verò toto libro, antequam ad eam, quam tu mutilè affers, congruam conſecutionem veniret, per multa capita oſtendit, tum rationibus, tum coniecturis, tum etiam intercurrentibus Sanctorū authoritatibus, quae, veluti lemmata quædam ad corroborandas coniecturas ſufficerent, quae ſi tu legiſſes, & intellexiſſes, cautiùs dubio procul pronunciaſſes.

Itaque, cùm, iuxta dicta, tanquam probatum ex prioribus ſumpſiſſet Inchofer, annum Chriſti ſexageſimum ſecundum, qui obitum Virginis ſignaret; rectè deinde annos quindecim ab Euodio putatos (à cuius ſententia non eſſe recedendum cenſuit Baronius) quando Virgo peperit, annis ſexaginta Chriſti vltro iam probati annexuit; vnde anni totius ætatis prodirent, ac proinde non amplius reſtabat probandus ſexageſimus ſecundus Chriſti annus, quo diem ſuum Virgo obijt, ſed ſufficiebat ad rem, quantum pro rei certitudine probatam, illud etiam addere, quod vim nonnullam, & maiorem claritatem afferret.

Quòd ſi tu rationes Inchoferi diligentius expendiſſes, non facilè eam notam petitionis principij homini docto affinxiſſes, ne de te illud vulgatū diceretur: Sus Mineruam, aut Coriarius Terpandrū Muſiceen, & vellem te melius callere Pirre, quid apud Dialecticos ſit petitio principij, & an hic modus declarandi Inchoferi contineantur in modis petitionis principij à Philoſopho traditis, & an ex ijs, quæ per multa capita tradidit Inchofer, non tanquam ex notioribus factus ſit progreſſus ad coniecturā faciendam, niſi quia fortaſſe tibi, qui coniecturas nō expendiſti, aut non intellexiſti,

æquè

Digitized by Google

æquè alterum atq; alterũ fuerit ignotum, id verò tua culpa acciderit. Magis eſt ridiculus Franciſcus Baroni, qui eandem petitionem principij ſic colligit, vt facilè admitteret ex ſuo argumentandi modo, Beatam Virginem plura etiam ſecula Chriſto ſuperuixiſſe.

Ceterùm qui viro doctò obtrectare audes, vellem te in Dialectica peritiorem eſſe, quàm vt ſæpius in tuis argutijs impingeres, eiuſmodi enim ſunt tuæ argumentationes, vel potiùs argutationes, quæ ſi ex longo diſcurſu in argumentum concludantur, ex cœli rotunditate, baculum in angulo eſſe, aut quia Socrates ambulauit, cœlum corruſcaſſe inferant. Ais alicubi Philippum Argyrenſem à Petro Apoſtolo miſſum in Siciliam, inde infers antiquitatem Antiſtitum Panormitanorum: vtpote qui Antiſtitem à Diuo Petro agnoſcunt. Quis hic non rideat, quis non inferat ergo baculos in angulo? Quid quæſo Philippo Argyrenſi cum Epiſcopatu Panormitano. Sed etiam probandum erat tibi Philippum à Diuo Petro miſſum, & quidem miſſum Panormũ, alioqui non ſolùm petis principium, ſed omninò in terminis diſparatis hebeſcis, & facilè eodem modò concludas, miſit Petrus Pancratium Tauromenum, Martianum Syracuſas, Beryllum Catanam; ergo primus Antiſtes Panormitanus eſt miſſus à S. Petro, aut ergo quia hos miſit in diuerſas ciuitates, quibus præeſſent, eoſdem miſit Panormum; idem ſit Martianum eſſe Syracuſanum, ac Panormitanum Antiſtitem, idemq; de Pancratio, & Beryllo conſequenter dixeris. Quid ſi tibi tam certò conſtaret de primo Panormitano Antiſtite, ac Meſſanenſibus conſtat de ſuo, næ plauſum Carthaginenſem arriperes. Sed bene ſe res habet, expreſsè fateris, te neſcire, quis primus Antiſtes Panormi fuerit: qui ergo affirmas à Diuo Petro miſſum, idque ex perſona Philippi repetis, de quo fortaſſe certius eſt ab alio Pontifice, quàm à Petro miſſum, niſi iuxta Innocentij dictum ad Decentium Eugubinum, omnes vt Eccleſias, ita & Antiſtites inſtitutos, *per epitaſim*, authoritate Petri velis affirmare.

mare. Simili vitio laborat hic alter tuus diſcurſus, ſi in enthymema redigatur. Scilicet, Diua Agatha Panormi eſt nata, ergo Diuus Petrus Apoſtolus miſit Panormitanis primum Antiſtitem, vel, ergo Panormitanus Epiſcopatus eſt vetuſtiſsimus. Hoc profectò Enthymema ſi in ſyllogiſmum cõſtruas, admiranda planè monſtra ſis producturus, quaſi primus Epiſcopus Panormi eſſe non potuerit, niſi Agatha poſt ſecula naſceretur, aut vbicunque illa nata fuiſſet, primum Antiſtitem Panormi eſſe oportuerit, aut ſi nunquam alicubi nata fuiſſet, nunquam ibi primus Epiſcopus eſſe potuerit. Proh Dialecticen in furnaria cultam.

§. XXVI.

PErgis. *Simulans deinde Inchofer ſe rem confeciſſe, hæc ſubdit.* N*ec verò id myſterio vacare putandum, ſi rem expendamus, enimuero, ſi Abram Pater excelſus ſeptuaginta quinque annorum erat, cum egrederetur de terra Haran, vel, vt legit Pagninus de terra Charan, id eſt iræ, vel furoris, vt alij corruptionis, vel deſtructionis; par omninò fuit Mariam Matrem excelſam, parentem nempe Dei excelſi, ijſdem circiter in carne circumſcriptã annis è mortalitatis finibus migrare in regiones æternitatis* Hæc Inchofer. Mirum te ſemel rectè recitaſſe. At tu hic ais, *nullam argumenti vim latere facilè opinor, quiuis intelliget, niſi fortè velit Deiparam, aut Chriſtum eorum omnium annos exæquaſſe, quorum geſta ipſum prauiò quodam nutu ſignificarunt.* Fateor in primis, Inchoferum non hinc potiſsimum argumenti locum ſumere, ſed rationibus ſuis congruum quoddam momentum ſufficere, quod tamen multis doctis, efficacitatem ſuadendi nõ minimam habere, viſum eſt. Concedo deinde, tibi nullam hic argumentandi vim latere, qui vel non expendiſti, vel vim non percepiſti, ceterum pudor tibi ſit, ſi à me doceraris, à figuris ad figurata in Diuinis ſcripturis maximam eſſe vim argumenti, quod

qui

qui neget, non mea penna, ſed Eccleſiæ cenſura ſit refellendus, alioqui vacillet tota religio neceſſe eſt, & peſſumeant quæ de Chriſto in figura dicta, dudum impleta eſſe euentus comprobauit.

Inchofer porrò ea, quam ex ſanctis Patribus, & Scripturæ interpretibus hauſit pia licentia, hanc velut figuram in Abrahamo ad Beatam Virginem quantum rei ſimilitudo tulit, eatenus vertit, vt apud doctos inſignem ingenij, & pietatis laudem reportarit. Quid enim? ſi Abraham Pater excelſus, nonne Virgo Mater excelſa? ſi ipſe Pater viuentium poſtquam egreſſus fuiſſet, nonne & Virgo à pleriſque Sanctis appellata Mater viuentium, maximè poſtquam in cœlo regnare cœpiſſet? Quid ni ergo hac velut figura tralatitiè in Virginem deriuari queat, vt quemadmodum Abram Pater viuentium ſeptuaginta quinque ætatis corruptionis terram euaſerit, ita Virgo iiſdem propè ætatis annis mortalitatem exuerit, eaque velut imagine hæc veritas ſit expreſſa? Plura infra doceberis. Quare ſi tu hic vim argumenti latere non animaduertis, tuo ingenio adſcribe, quo ſanè rudiſter arguis, quaſi velit Inchofer Deiparam, aut Chriſtum eorum omnium annos exæquaſſe, quorum geſta ipſum præuio quodam nutu ſignificarunt.

Scilicet tua ſententia non licebit Paulo Apoſtolo à primo Adamo terreno arguere ad ſecundum cœleſtem Adamum, qui eſt Chriſtus, niſi fortè velit Chriſtum exæquaſſe in carne annos Adami; multoque minus licebit Dauidi dicere de Chriſto. *Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech*, ne ſi à Melchiſedecho figuratū Chriſtum quis dicat, eiuſdem annos Chriſtum in carne egiſſe affirmare videatur. Diſce, Pirre, ex his venari ſimilitudinē, & rationem argumenti, inter quæ ſit comparatio; & magnam eſſe in numeris à ſacra Scriptura poſitis vim ad multarum latētium rerum ſignificationem eruendam, nec eſſe numerum, qui myſterio vacet; pluresque eſſe numeros, qui non vnam circa Virginis prærogatiuas exhibeant ſignificationes: in-

I telliges

telligẽs opinor, ſi interpretes, præſertim Apocalypſis Ioannis legeris, intellexeris.

Et quod huc ſpectat, non deſunt viri doctiſsimi, qui quod legitur apud Danielem. *In dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium.* Ita interpretantur, vt in dimidio ſeptuageſimæ hebdomadæ annorum, velint Chriſtum crucifixum, atque adeò trigeſimo quinto (quamquam non expleto) ætatis ſuæ anno, qui dimidium ſignat earum hebdomadarũ. Vereor ne tu hic impingas doctiſsimis viris velle eos Chriſti ætatem annis æquare ducentis, & amplius. Diſce tamen licuiſſe, & Inchofero horum, & plurium Sapientum imitatione, ex annis egreſsionis Abrahæ alludere ad annos exceſſus Virginei; nec temeritas interuenit præſumptionis, vbi eſt diligẽtia pietatis, inquit Leo Magnus Ep. 97. ad Ruſt.

§. XXVII.

I*Llud incommodè accidit in hac collatione Inchoferi,* ais, *vt ſeptuageſimum quintum annum prætergreſſa Virgo de ipſius ſententia ad ſeptuageſimum ſextum proximè acceſſerit, qua de cauſa ad collationem retinendam hæc addit* [*ſed enim cuius corpus corruptioni ſuperior erat* (*ſuperius opinor ſcripſit*) *animuſque contra mutabilium viciſſitudines inflexibilis ſeptuageſimum quintum prætergreſſa, ſextum tamen in vita mortali non expleuit, quod viceni illi, & quini dies, dimidium ſcilicet quinquageſimæ ſpatium cæleſtis vitæ, debet eſſe principium illi, quæ alterum dimidium in carne Dei ſpiritu plena ſic peregit, vt collectis ſpicarum manipulis ex meſſe totius ſanctitatis reliquo dimidio cum quinquageſimo in cælis incboando in æternum Dei templum inferretur, ex nouis quidem, ſed inuſitatis frugibus panis ſolo Deo dignus*]

Hic ferè (ſubdis) *nihil video, niſi tenebras, & fumos, vt reor, vendit Inchofer: hæc aliqui præclaros animi ſenſus, ſiue conceptus appellant, ego verò abortus ingenij hæc attuli, vt videret*

deret lector, quàm libens ſuo otio abuſi velle videatur Inchofer, &c.

Laudo diligentiam, Pirre, qui etiam typographicos errores notas, ita ego non ſemel grammaticam, & ortographiam tuam correxi, ne gemeret Priſcianus: doleo tamen, quòd rurſum ad genium redeas, & verba Inchoferi non omninò paria referas. *Debet eſſe principium illi*, habes. At Inchofer, *debuit eſſe principium illi:* magnum diſcrimen, vbi oratio variatur, & ſenſus in peius demutatur.

Quod hic nihil videas niſi tenebras, facilè admiſerim, Pirre, eruditus enim ſit oportet, qui Inchoferū capiat, quòd fumos vendere eum reris, vim adagij reor ego non intelligis, quid ſi caligantem animum, & fumantes oculos ad legendum attuleris? quid ſi tu in his tuis Notitijs fumos vendideris? detegetur opinor breui, Turinus alter. Qui dicta Inchoferi præclaros animi ſenſus, ſiue conceptus appellent, rectè ſentiunt: tu qui abortum ingenij vocas, nimis facilè enuncias, idcirco, vt plurimum mentis abortum facis.

Afferam ego vnum, aut alterum ex præclaris tuis conceptibus, de quibus iudicent alij, an abortus potiùs ſint, an partus ingenij. Probas ſcilicet hoc egregium phrenoſchema Regi Petro ſcriptum, inter alia.

Sponſus vt eſt templi Deus, iſque homo Virgine natus,
Sic Aquila geminum cernis ineſſe caput.

Inſignis ſanè partus, ſcilicet, ecquid monſtri? vnde ſimilitudo in tam diſsitis rebus? vbi gratia connectendi? eodem modo dixeris, ſicut cœlum eſt rotundum, ita ficus coquuntur in cacabo? At dices non eſſe tuum partum: ego verò aio à te probari, dum adhibes ad conteſtandum, vbi loci Panormi Regibus Siculis corona ſolita eſt imponi. Ceterùm de his, quæ huc ſpectant, conſule Baronium, imò Gregorium IX. Summum Pontificem.

Vis addam & alium fœtum in tua nuncupatoria, qua initio operis Senatui Panormitano places. Non immerito dictum exiſtimas olim *à Io. Paternione Panormitano Archiepi-*

ſcopo non alia de cauſa Panormitana Eccleſia bicipitem Aquilã ſtemmatum loco Reges olim tradidiſse, quàm vt geminam eius Vrbis in ſeculari æquè, ac in ſacra politia dignitatem indicarent, haud ſecus atque nobiliſſimæ Arelatenſi Eccleſiæ eadem ex cauſa ab Friderico Imperatore pro inſignibus Aquilam datam eſse credit Claudius Robertus in ſua Gallia Chriſtiana. Neſcio, Pirre, an lubricè magis, quàm ridiculè: Eſſe datam Eccleſiæ à Friderico Aquilã nihil peculiare habet, vbi annexa eſt iuriſdictio temporalis cum priuilegio principatus, aut dignitatis, vt vocant, ſecularis, itemque iure patronatus; at de Vrbe ſeculari id fingi, ſenſum habet deerrantem, ergo qui bicipites in inſignibus ferunt aquilas, æquè excellunt in vtraque dignitate? quid de Imperatoribus Chriſtiani ſeculi dicendum? quid de multis, qui horum dono eadem geſtant ornamenta? ergo qui ſynceram vno capite fert aquilam, ille in alterutra dignitate excellere dicatur neceſſe eſt, ſiue emum domo ſit tabernarius, an furnarius: quot enim hodie videmus aquiliferos? Quæri etiam poteſt, an Vrbes, virique, qui aquila non gaudent, ijs careant dignitatibus; affirmabis vtique, vt aliquid ſingulare Panormo tribuas: ò deiectam Romanorum Pontificum dignitatẽ, quæ non geminas aquilas, ſed binas claues præfert! vt iam diſtichon illud, quo tu intempeſtiuè plaudis.

Inuida felici ſemper Meſsana Panormo
Poſthac, Alphonſo iudice, victa ſile.

Ita queat inuerti.

Quæ quondam fueras caput Orbis Roma, Panormo
Cede hodie, Pirro iudice, victa ſile.

Apage ſis. Ridiculum verò, quod alibi immemor tui à Romanis aquilam Panormitanæ Vrbi traditam glorieris. Nihil abnuo, ſed num ijdem & dignitatem Eccleſiaſticam contulerint? fruſtra ergo à Diuo Petro primum inſtitutum Epiſcopum iactabis, vt ſecula anticipes in Romanos referas oportet, vt deinde affirmes D. Petrum ex conſuetudine Romanorum egiſſe, quò præclaris vrbibus daret Antiſtites

æque

æquè dignos. Sed quid ſi tibi quis innuat phœnicē à Phœnicibus populis, quibus parebant, non aquilā à Romanis, ſtemmatum loco Panormitanis traditam? Rectè verò Baronius ait. *Maiores in inſtituendis ſedibus Eccleſiarum non aliam iniſſe rationem, quàm ſecundùm prouinciarum diuiſionem, & prarogatiuas à Romanis antea ſtabilitas.* Sed quo pacto id intelligendum ſit, ne in politicam adminiſtrationem aberres, aliunde, ſi ex Inchofero, qui Baronium eruditè explicat, multaque in rem, & iura, & exempla in noua editione laudat, debebas addiſcere.

Atque hi à te laudati præclari conceptus, nonne monſtruoſi ſunt abortus? ne tamen conquerare, aliorum meditata tibi adſcribi, morem geram, vt te ex tuis deſcribam, & formoſum ingenij partum permulceam. Tuum ſanè eſt in Chronologia Regum Siciliæ, quod hic affero. *Vides hic lector, obiter celeberrimum Senatus nomen in Regio Concilio attributum Vrbis Magiſtratui, vt rectè aduertit Hieronymus Branci ab antiquiſſimis tamen temporibus id nomen illi inditum, quòd reliquæ ciuitates neſcio, an iactare poſſint* (Siculas puto intelligis alioqui nimis arroganter) *apud M. Tullium hac habes: quotieſcunque Panormum veniens ille anno, & ſex menſibus toties ad te Senatum Panormitanum adeſſe ſupplicem Curia Magiſtratibus, Sacerdotibuſque publicis.* Hæc tu, Pirre.

O præclarum conceptum, longèq; præclariorem eruditionem, qui in M. Tullio ita verſatus ſis, vt cancer in herbido prato, & quoties in Verrinis fit mentio Senatus, modò Syracuſani, Catanenſis, modò denique Mamertini, ſeu Meſſanenſis. Pudet me tui: ſed ſi tibi ingenuitas ineſt, maximè te pudere debet, tam ineruditæ iactantiæ: & profectò qui in M. Tullio minus verſatus eras, ſaltem ex Inchofero diſcere debebas, quo pacto, & quibus Ciuitatibus nomen Senatus à Romanis, aut indultum, aut honoris cauſa attributum, & offendiſſes non ſemel, imò ſæpiùs Meſſanenſem appellari Senatum quàm Panormitanum. Vnum duntaxat

locum

ocum afferſ ex M. Tullio, eundemq; ſatis afflictum, vbi Se-natum Panormitanũ ſupplicem, & abiectum repræſentas, cùm potuiſſes alium laudare ad gloriæ ſpeciem accedentẽ. Sed fortaſſe tua referebat meminiſſe Sacerdotũ publicorũ, ſcilicet propter dignitatem Eccleſiaſticam: miror, quòd nõ poſueris & Antiſtites, vt Metropoliticam dignitatem tuereris quàm antiquiſsimam, adeoque ante ortum Saluatoris conditam. Non hæc dico, vt præclariſsimæ Ciuitati illudam, quin etiam plura, & magis glorioſa, quàm à te hoc loco factum, lubens attribuo: ſed tuam arguo inconſiderantiam, vt minus dicam, qui trabem amoliri ex tuis oculis haud vales, in alienis feſtucam quæris.

Ac vt ſilentio inuoluam, quæ de Meſſanenſium cum Romanis ſocietate, primario iure fœderis, & conſanguinitate, ſatis, ſuperq; à grauiſsimis dicta ſunt Scriptoribus, quos magna ex parte ad id vnum congerit L. Portius Calbetus in ſuo Philacterio. Nonnulla pro Meſſanenſibus, ex quorum receptaculo Romanis (vt cum Cicerone fretus authoritate Flori loquar) *gradus Imperij factus eſt*, attingam breuiter, vt qui Ciceronem fortaſſe, & Iulium Cæſarem non perlegeris, docearis, ac facilè perſpicias, non modò Senatoriam Meſſanenſis Reipublicæ dignitatem, verùm etiam peramplam ſui iuris, ac dominatus poteſtatem, qua etiam pœna (in qua ſumma iuriſdictio eſt) in illos conſtitui poterat, qui apud Romanos Magiſtratus inuita Meſſana Romæ agerent. En tibi Ciceronem in Verrinis. *Quæ quia dixit* (de Heio loquitur) *quia tempore dato modeſtè apud vos ſocius, amicuſque Populi Romani queſtus eſt; &c. Hominem miſſum ab iſto ſcitote eſſe Meſſanam de legatis vnum illũ ipſum qui naui iſtius ædificandæ publicè præfuit, qui à SENATV peteret, vt Heius ingnominia afficeretur.* Et poſt pauca ſubdit. *Verùm fac te impetrauiſſe: fac aliquid grauius in Heium ſtatuiſſe Mamertinos, quantam putas authoritatem laudationis eorum futurã, ſi in eum, quem conſtet, verum pro teſtimonio dixiſſe, pœnam conſtituerent.* Et alibi. *Maxima, & locupletiſſimæ*

tiſſimæ Ciuitati Mamertinæ nihil horum imperaſti. Deinde ſequitur poſt aliquot verba. *Nauem verò Cybæam maximam triremis inſtar pulcherrimam, atque ornatiſſimam palam ædificatam ſumptu publico, ſciente Sicilia, per Magiſtratum, SENATVMQVE Mamertinum tibi datam, donatamque dico.* Ex Commentarijs verò Iulij Cæſaris de bello ciuili hæc habes, vbi de L. Naſidij cum Pompeiana claſſe in Siculum fretum appulſu dixerat. *Appulſiſque,* ait, *Meſſanam nauibus, atque inde propter repentinum terrorem Principum, & SENATVS fuga facta, ex Naualibus eorum vnam deducit.* Vides ne Pirre, quàm honorificè Mamertini Senatus mentio á tanto fiat viro. Iure igitur, cùm hæc non legeris, te neſcire, ais, an alteri ciuitati præter Panormum Senatus dignitas ab antiquioribus tribuatur. Sed lubet hunc in locum referre illud Plutarchi de Mamertinis Pompeio obſtantibus; *Detrectantibus enim,* ait, *Tribunal ſuum, & iuriſdictionem, à qua contendebant veteris populi Romani formula ſe eſſe exemptos, non deſinitis inquit Pompeius inſtituta recitare ſuccincti gladijs?* Perpende hic Meſſanenſes nulli tum vel Imperatorum iuriſdictioni obnoxios. Poſſem hoc loco recentiorum, aut Regum, aut Pontificum diplomata de Senatus Mamertini dignitate recitare, ſed ſatis ſuperque tecum vagati ſumus: nunc ad inſtitutum redeamus.

Vt verò eruditam in Inchofero mentis imaginem aduertas, cogita B. Virginem Abraamo ſuperiorem illi cenſeri, & longè felicius mortalitatem emenſam, quàm illum ex terra Charan egreſſum, id propter prætergreſſam annos egredientis Abrahæ, egiſſe penè ſeptuageſimum ſextum, demptis diebus quinis, & vicenis, quos tamquam dimidium quinquageſimæ cœlo fruitura, æternæ vitæ non amplius mortali curſu inſereret; quis verò neſciat annum quinquageſimum, annum fuiſſe quietis populo Dei? quis eundem annum, quinquageſima dierum ſignificatum? quis vtroque hoc ſymbolo non æternam à laboribus quietem deſignatam? ac vt collecta præteritorum annorum meſſe ex nouis frugibus,

panis

panis in Templum offerebatur, ita collecta meritorum meſſe, quibus in reliquo vitæ mortalis ſpatio Virgo ſupra homines, & Angelos enituit, quid mirum ſi ipſa velut panis ex nouis, & inuſitatis frugibus in æternum Dei Templum inferretur? Lege interpretes, Pirre, & mentem collige, inuenies Inchoferum ad plura Sanctorum Patrum præclarè dicta alluſiſſe, Gregorium Magnum inter alios interpretando fuiſſe imitatum. lib. 4. moral. cap. 2. & 3.

Multa porrò de hac comparatione habet Inchofer, præclara ſanè eruditione deprompta, quæ tu vel non intellexiſti, vel ſtudio præteriuiſti, vt lectori imponeres, tamquam ſi Inchofer leuia ſcripſiſſet, ego ea, ne lectorem fallam, te verò ad ſaniora adducam, non grauabor ex parte referre. *Septuaginta* (ait) *quinque anni cum reſiduo ſexti, quem calculum ad rem noſtram adſciſcimus, quamquam elementa queant eſſe coniectoribus ad multa verè, an falsò diuinanda, quamquam etiam cùm numerus finitus plerumq; teſte Auguſtino ponatur in ſacris literis pro infinito, non ſolùm temporum quæſtiones numeris ſoluuntur, ſed latius pateant ſignificationes eorum & in multa proſerpunt; vbi tamen rei, quæ verè fuit, & non figuratè tantùm geſta eſt, ſimilis aliquando, ſed digniore quodam ſymbolo reſpondeat euentus, hunc ab illa typicè ſignificatum, quin dicamus nihil vetat, vt quemadmodum ſerpens in deſerto verè exaltatus, typus fuit eleuandi in cruce Saluatoris (hic enim modò non refert alia comparatione antitypum nuncupare) ita egreſſus Abrami de terra Charan, dum annos ageret quinque præter ſeptuaginta, egredientis extra finem mortalium, Dei genitricis deſignet tempus, idque eò magis, ſi tropologicè vertatur ſermo, nec ſecus ac in coniunctione Adami cum Eua ſacramentum magnum, ſed in Chriſto, & Eccleſia, ita in Abram egrediente myſterium haud paruum, ſed in Maria ex humanis ad diuina concedente ſit adumbratum.*

Quo loco & illud dignitatem habet, non antequam egrederetur Abram, patrem fuiſſe conſtitutum multitudinis, commutatoque nomine appellatum Abraham: prorſus enim & B. Vir

go Mater quidem, & Domina rerum (vt Anſelmus loquitur) ſuis meritis cuncta reparando pridem effecta, ſed tunc demum in beatitudinem introducta noua prærogatiuæ titulo, aduocata generis humani, atque adeò bis Mater omnium eſt conſtituta. Nam ſi fortaſſe in eo hæc noſtra deficiat comparatio, quòd vno prope anno exaucta Virginis ætas, in ſeptuageſimum ſextum prouehebatur. [*In primis non eadem(* inquit Hieronymus *) Hiſtoriæ, Lex, & Tropologiæ, quæ cùm libera ſit, & in copulandis rebus multum inter ſe contrarijs violenta, dummodo pietatem intelligentiæ, ſermoniſque contextum ſequatur, ſuis legibus eſt circumſcripta.*] *Quanto magis ſi verſetur in rebus quales noſtræ ſunt per quàm ſimillimis: deinde, ſi Auguſtino credimus, Diuina ſcriptura ſolet tempora ita nuncupare, vt quòd de ſumma perfectioris numeri paulùm excreſcit, aut infra eſt, non computetur: quo proinde nihil admodum comparationi demat, excreſcens ille Virginis, nec tamen ſolidus annus, præſertim ſi altioris quoque myſterij ſit Index, quod in præſens inſtitutum conuenire, abundè hactenus affirmatum eſt.* Hæc Inchofer.

An verò hoc fumos vendere eſt, Pirre? tibi verò ſi tenebræ ſint, nil mirum, quid enim veſpertilio ad Solem? Certè tua inconſiderantia doctiſsimos, ac eruditiſsimos quoſque viros fumos vendere dictitabis, quos in ſimili argumento videtur fuiſſe imitatus Inchofer. Vt enim Auguſtinum, Chryſoſtomum, ipſumque Hieronymum taceam: ſanè Paulus Oroſius agnomine doctiſsimus, libr. 7. cap. 1. vbi de Chriſti ortu loquitur, hæc habet. *Illud ſanè libenter adijcio, quod primùm illius regum omnium Nini, quamuis & pater eius Belus obſcurè primus regnaſſe referatur, anno poſtquam regnare cæperat quadrageſimo tertio, natus eſt ille ſanctus Abraam, cui datæ ſunt repromiſsiones, ex cuius ſemine repromiſſus eſt Chriſtus, deinde tunc primi iſtius Imperatorum omnium Auguſti Cæſaris, quãuis & pater eius Cæſar metator Imperij potius, quàm Imperator extiterit. Iſtius, inquã, Cæſaris poſteaquam imperare cæpit emenſo propemodum anno quadrageſimo ſecũdo natus eſt Chriſtus, qui Abraam ſub Nino primo*

K rege

Digitized by Google

rege fuerat repromiſſus. Natus *eſt autem VIII. Kal. Ianuarij, cum primum incrementa omnia anni venientis incipiunt. Ita factum eſt, vt cum Abraam quadrageſimo tertio natus ſit anno ſub fine quadrageſimi ſecundi natiuitati Chriſti conueniret, vt iam non ipſe in parte tertij anni, ſed ipſe potiùs tertius annus oriretur, &c.* Hæc Oroſius. Num verò iſte fumos vendidit, Pirre? quando annos Abraam cum annis Chriſti contulit? ita tamen, vt excedentem illius annum in Chriſto initium ſumere vellet, hoc eſt quadrageſimum tertium, & ex numero annorum attento rei myſterio venaretur ſignificatam veritatem. Inchofer porrò, quia verſa, quod dicitur proportione deficientes Abrami annos ex Virgine capere acceſſionem haud ſine myſterio, & ſignificati præſagitione conjecit, eum tu fumos vendere garris? ſed, vt dicebam, retorquendi in te vim adagij non intelligis, diſce verò multo ſale indigere, qui medium vacuum implere velit.

§. XXVIII.

QVædam alia Inchofer ex eruditione profana huc reuocauit, de Cometa nimirum, qui anno Chriſti ſeptuageſimo ſecundo Vrbi Romanæ viſus eſt impendere, de fulmine in Neronis menſam intorto, de Agrippina à filio Nerone annum ante ſublata: de Laodicæa terræmotibus concuſſa: de proſtratis Aſiæ Vrbibus, deniq; de Pliniano puero à meridie vſq; ad veſperum ſeptuaginta qninque paſſuum millia decurrente. *Quo planè ſignificatum non ineptè quiſpiam putarit* (ait ipſe) *puriſſimam Dei genitricem à meridie ſanctitatis, qua ex ipſo matris vtero fulſit ad veſperum vſque mortalis vitæ, ſeptuaginta quinque ætatis annos per momenta virtutum omnium numeris exauctos, in innocentiæ ſtadio plenè exegiſſe, ſed demum ſeptuageſimo ſexto horizontem immortalitatis(vt cum Triſmegiſto loquar)* quam parentheſin omittis, Pirre; *tenuiſſe, gloriæ ſempiternæ metas attigiſſe.*

Hæc

Hæc attulit Inchofer. Non tamen argumenta, quibus rei cardo verteretur, quàm velut lacinias quaſdam argumentorum, ac quaſi ornamenta quædam eruditionis: quæ tamen inſtar primorum cenſens Pirrus, & fortiora diſsimulans. *Hæc ſunt* (ait) *argumenta Inchoferi, alij riſum, alij bilem tenere vix potuerunt.* Optandum verò erat, vt Pirrum ad vomitum coëgiſſent, quo ſemel eiecto ſtomachi vitio ad ſanitatem rediiſſet: ſperandum fortaſſe. Nam addit. *Illud ſanè ſtomachum mouet, cùm hoc argumentum tam palmare vocet Inchofer, vt vel inuito fidem extorqueat, ſi imprudens eſſe non amet, vel vſque ad piaculum moroſus perſiſtere, de quibus verbis tuum eſto iudicium lector.* Sic Pirrus.

Iudicabit verò prudens lector, Inchoferum non de illo poſtremo argumento à puero Pliniano inducto, quod, vt dicebam, inter lacinias eſt eruditionis, à principe velut argumento ductæ, quòd iuxta ſuperiùs dicta ab egreſſu Abrami de Charan repetitur, nec non ab iis rationibus, quæ longè ante multis capitibus attexens Inchofer, hoc tandem capite decimo ex illa figura Hieronymi, & Auguſtini eruditione explicata declarauit. Hoc porrò totum in re præſenti palmare argumentum vocauit, quod tu, Pirre, enallages ignare, ad poſtremum duntaxat reduxiſti, & meminiſſe debebas in ea rationum congerie, quæ principē habet locū, illi reliqua argumenta, vel topicè militare, ac velut lemmata theorematis in Matheſi, ita in reliquis topica epidictis, vel quæ talia videntur miniſtrare, & ſi non tam ſingula ſeorſim, quàm vniuerſa ſimul probationē habere videantur.

§; XXIX;

A *Capite decimo ad decimumquartum multa,* ais *habet Inchofer, quæ ad augendam libri molem congeſta reor, rem ſanè nihil promouent.*

Non diſcurris, Pirre, & verba ad augendam libri tui mo-

lem congeris,tu te ipſe in laqueum inducis, cùm illa multa ex Inchofero colligis; quis enim neget illa neceſſariam habere tractationem, ſine quibus, quæ hactenus dicta ſunt, non magnam firmitatem habere videri cuiquam potuiſſet. Ea de cauſa Inchofer præmiſsis iis, de quibus huc uſq; egimus, hæc ſubdit. *Neq; tamen de re tota conſtitutum eſſe velim, niſi primùm, quæ circiſiſtunt impedimẽta funditus amoliamur.* Idq; præſtitit feliciter, nihil tuæ diſsimulationi conceſſurus.

Ne quis ergo obijceret. Petrum Romæ exiſtentem non potuiſſe funeri Virginis intereſſe, niſi ipſa obierit, antequã ille Antiochia Sedem moueret, rectè probauit Inchofer, Petrum, poſtquam Romam venit, anno Chriſti quadrageſimo quarto, non ita illic hæſiſſe continuò, quaſi non ſæpius abſuerit, proinde potuiſſe vnà cum ceteris Apoſtolis, & Dionyſio Areopagita anno ſexageſimo ſecundo decedenti adeſſe, quamquam non ſublimis per aëra, vt habet traditio quædam Melitoni Sardicenſi adſcripta, veheretur. Hoc tu Pirre, ad augendam libri molem ſcriptum putas, quia hoc argumentum multis doctorum controuerſijs de vario Petri ab Vrbe receſſu irretitum aut ignorabas, aut excogitare non valebas.

Rurſum, quia Biuarius multis, & eruditè ſuadere conatur, B. Virginem, anno ætatis ſexageſimo tertio, eoque climacterico deceſsiſſe; an non hoc argumentum multis amoliendum erat, dicenda etiam paucis cognita hiſtoria, vnde in ſerto precario B. Virginis recitando ortum habuerit ſexaginta tribus globulis eam coronam perficere: quando & Biuarius, & multi ante ipſum, inde ſexaginta tres annos conijciebant, quaſi corona annorum, & ætatis texeretur. Id verò docet Inchofer eruditè, vt nemo alius, errorem in pietate leuem correxit, vnaq; nihil vitium climactericis annis ineſſe luculenter, & ad Matheſim doctè oſtendit, vt niſi feciſſet, nihil magis obeſſe ſuo inſtituto, prudens aduertit, quando hoc argumentum plus ceteris in ætate Virginis verſantibus militare pluribus doctis videbatur.

Hoc tu, Pirre, ad augendum libri molem congeſtum dicis? at tu nec bonus Dialecticus, nec bonus Scriptor, ſi quæ tuo intento aduerſantur diſſoluere minimè conaris; idcirco credo, nullum ex Inchoferi argumentis, quae principem locum habent, auſus es attingere, omneſque ferè rationes, quibus ipſe ſua probat, egregiè diſsimulaſti.

§. XXX.

SEd enim aliquantum in te reuerſus addis tandem. *Cùm hac Biuarius adduxerit pro ſua ſententia, ea ſingillatim in examen vocat Inchofer, & reijcit, an id, quod intendit, efficiat non diſquiro in præſentiarum, neque enim inde concludat, Virgineam ætatem ad ſeptuageſimum ſextum annum protractam, ſi quadrageſimum octauum exceſſiſſe probauerit.*

Ex his tuis dictis palinodiam videris recantare, Pirre, agnoſcis enim tacitè, non ad augendam libri molem id factum ab Inchofero, quamquam an id, quod ipſe intendit efficiat, non diſquiris in præſentiarum. Ita ſe excuſabat Faber apud Ætetoclem de examinando radio cœli. Ridiculus tamen es Dialecticus, cùm velis non inde concludi Virgineam ætatem ad ſeptuageſimum ſextum protractam, ſi quadrageſimum octauum exceſsiſſe probauerit: non didiciſti à partium enumeratione argumentari, aut ex notioribus ad ignotiora paulatim, & mediatè procedere.

Ergo qui ſexageſimum tertium annum ætatis Virgineæ firmis rationibus reijcit, vt plures fuiſſe oſtendat: tibi tantum quadrageſimum octauum probabit exceſsiſſe, cur verò non & quinquageſimum ſecundum, cur non quinquageſimum ſeptimum, cur non quinquageſimum octauum, quinquageſimum nonum, ſexageſimum, cur non alios, de quibus eſt controuerſia, vt paulatim perueniat ad ſeptuageſimum ſecundum, vel tertium, in quibus multi, nec ſine cauſa, conquieſcunt, cur non etiam vltro tendat, ſi rationes ſuffragentur?

Verùm

Verùm hic tu triumphas. *Hic ergo Inchoferum vrgeo, proferat ipſe graue cuiuſpiam authoris teſtimonium, vel rationum momenta pro ætate iſta, quam ſtatuit; ſin autem nihil eorum, nec protulit, nec proferre poteſt, quis non perſpiciat, & communi ſcriptorum ſenſui contrariam, & nullis innixam fundamentis literarum opinionem, quæ ſine illa Virginis ætate corruit.*

Rationum momenta in Inchofero habes, hic in parte, & ſi ijs tanquam fundamentis innixam vis Epiſtolæ Virginis opinionem, prudenter facis, quamquam non id à te magnopere poſcit Inchofer, qui traditioni primas defert, quicunque tandem ſit annus, quo Virgo ſcripſiſſe, aut obijſſe dicatur, eius rationes poſitæ ſemel Traditioni militant, quæ ſi aliunde melius enarretur Inchofer non pugnat.

Ceterùm, ſi etiam grauem alicuius Authoris atteſtationē requiras, multa conuellas, opinor. Diximus alibi Euodij ſententiam de quibuſ am ad Virginem ſpectantibus incognitam fuiſſe, à poſteris tamen ſuſceptam, at poterant iſti tecū obijcere, niſi Euodius graue alicuius Authoris teſtimonium afferat, non illi eſſe credendum. Idipſum militat, in omnibus primis authoribus. Quis Damaſceno credat tam multa de Barlaam, & Ioſaphat enarranti ſine alio teſte? qui Chryſoſtomo tam multis in laudem Pauli effluenti, quæ nemo antiquorum ſcripſit? quis alijs? ac, vt in ſimilibus verſemur, quis annos mundi, variarumque ætatum eiuſdem, rectè ab eius putatoribus aſſumptum credat, cùm ſæpè ſine vllo authore incedant, id quod penè in annis etiam Chriſti vſu venit? ſcilicet non quo authore quid primùm habeatur, ſed quibus incedat rationibus ſpectandum, & in ſua certitudinis claſſe reponendum. Vt enim multa ab authoribus etiam antiquis, & grauibus accepta fallunt, ita ſæpè quæ authoritate carent, rationibus fulciuntur. Alioqui nimis anguſtum ſit ingeniorum ſpatium, ſi authorum duntaxat limitibus definiatur: nec quiſquam corrigere Siculorum Chriſtianorum annos auſit, ne Dionyſio Exili præiudicium ferat.

§. XXXI.

§. XXXI.

MVlta præterea afferre promittis, quæ narrationem de Pauli in Italiam itinere elidunt, vnum duntaxat memoras, nō potuiſſe, nempe Paulum cum vinctus duceretur in Italiam, reuerti in Iudæam, vnde Præſidis imperio diſceſſerat, quod tamen inuoluit Laſcaris narratio. Addis, *Silentium Lucæ de Meſſana ad fidem tam ſubitò traducta, & celeberrima legatione ſuſpicionem erroris inijcit, cùm præſertim ille itineris comes, quæ ad nauigationem, eiuſq; moras ſpectant, diligentiſsimè, quamquam exigua videri poſſint, perſequatur, quocunque tandem te vertas, nunquam eam ſyrtem effugies.*

Nihil proficis, Pirre; nam, vt eo tempore, quo Paulus primùm in Italiā venit, anno Chriſti quinquageſimo nono, ipſe redire in Iudæam minimè potuerit; alio tamen tempore quin potuerit, & euentu præſtiterit, nunquam probabis, & hoc eſt Inchoferi placitum, quamquā ſi legatio illo ipſo anno quinquageſimo, ſine tamen Paulo obita fuerit, nihil magnoperè videatur inuoluere, & ſi ſatius ſit, & hac in re ſententiæ Inchoferi ſubſcribere, ſi Paulum comitaſſe cum pluribus, affirmemus.

Argumentum de ſilentio Lucæ quàm parum momenti habeat, miror te non animaduertere, Pirre, ni fortè ſententiā Baronij inter nouatores numerari velis, quibus id genus argumenti ad elidendas plures in religione veritates maximè arridet, quàm verò doctè, & eruditè multis id elidat Iochofer, ſi legiſti, perſpicere poteras, nec tam incongruè arguere, vt indoctus iudicareris; ex plurimis ſapientiſsimorum vnà, ac ſanctiſsimorum virorum authoritatibus oſtendit Inchofer, S. Lucam multa omiſiſſe, quoquo tandem inſtituto, cuius ipſe rationem cum Baronio, & alijs latè tradit. Proinde fractum eſt argumentum, quo tu omnia perſecutum haud meditatè pronuncias. Reſpondere te oportebat

bat ijs, quæ circa hæc Inchofer pro re ſua adducit, & non temerè falſum obtrudere lectori, & ea tanquam ex tripode pronunciare, vnde ipſe nec melior, nec doctior euadere queat

§: XXXII.

HActenus in primo argumento de legationis tempore, & ætate Virginis verſatus videris, Pirre, nunc tranſis ad ſecundum, in quo velut in arce conſiſtis, multa iactas, demum de Inchofero triumphum agis; hoc argumentum ipſæ ſuppeditant tibi Literæ Virginis, & turpi laborant antilogia. *Profitentur ſe ſcriptas anno quadrageſimo ſecundo, & cùm à Paulo conuerſos ad fidem dicant Meſſanenſes, qui tamen primùm anno quinquageſimo nono adeſſe potuit Meſſanæ, hæc ſanè annorum ratio torſit, nec torquere vnquam deſinet Meſſanenſium ingenia, hinc alij ante aduentum Pauli, & ſola famæ celebritate legatos ad ipſum Meſſanenſes deſtinaſſe in Græciam, alij ipſum in Italiam, atque Meſſanam veniſſe antequam ad Neronem duceretur. Inchofer demum vel corrigendas numerorum notas, vt adamuſſim reſpondeant, atque reponendum eſſe annum ſexageſimum ſecundum pro quadrageſimo ſecundo, vel potiùs delendas ex ijs literis, tanquam per errorem ex ſcriptoribus intruſas.* Hæc ferè tua verba, Pirre.

Toties nempe recoquis eandem cramben. Si narrationum diuerſitas obeſſet veritati, multa ſanè in religione, multa in pijs traditionibus, & hiſtorijs vacillarent. Præclarè id oſtendit, multiſque exemplis Inchofer, quem ſi legiſti, & intellexiſti, quid tricas, vt aliquid dicere videaris?

Ac vt in ſimilibus verſemur, tolles æram mũdi plurimorũ temporum, clarius dicam tolles mundum, & plurima tempora, tolles religionem plurimarum in Eccleſia veritatum, quia nec vera mundi, nec multorum aliorum, quæ in Eccleſia ſuſpiciuntur annorum ratio, hactenus conſtare poteſt, ne

quicquam

quicquam laborantibus in ea re ſapientum calculis, qui tamen antilogias non euadunt. Quò præcipitas, Pirre?

Inchofer ſapientiſsimè dixit, aut reponendum annum ſexageſimum ſecundum, aut tollendas ſpurias annorum notas, idque pluribus exemplis, quæ in ſimilibus errorem in plura irrepſiſſe oſtendunt, confirmauit.

Et quidem tu fateris in hoc calculorum genere ſæpius erratum ex ſcriptorum oſcitantia; ego verò dico erratum non tantùm ex ſcriptorum oſcitantia, ſed diligentiſsima etiam chronicorum putatione in æra mundi, regnorum, conſularis Auguſti, reliquorum Cæſarum, Faſtorum, ſexcentos authores numerem, ſi tempore abutar, ſed quid inde? notum id doctis, multa ſi neſcis te docet Inchofer.

Sed ſcimus, inquis, *ex iſtis ſubſcriptionum erroribus, & parachroniſmis impoſturas non rarò deprehenſas.* Non nego, ſed impoſtura non ſemper eſt rei, quæ perturbatur, verùm eorũ, qui perturbant. Exempla tibi dant tabellarij, actuarij, & id genus. Manet proinde intacta veritas, ſi impoſturæ circumſcribantur. *Difficilè nimirum ſibi vndique conſtant mendacia.* Rectè id in multis, ſed in præſentiarum non diſcernis falſa à mendacijs, nec dialecticè à loco arguis.

Subdis, *ad falſitatis ſuſpicionem eleuandam non eſſe ſatis, ſi inuerſis numerorum notis ab antilogia vindicemus, id enim eſſet dicere, potuiſſe figmentum magis ad veritatis ſpeciem conformari, neque id nos dubitamus, qui pro comperto habemus, nullum eſſe tam impudens mendacium, quod ſub veritatis perſona deliteſcens fallere non poſsit.*

De genere in genus, Pirre, modò falſitatem, modò mendacium exprobras, nec quæ ſpecies, ſub quo genere contineatur, diſcernis. Hæc omnia quàm rectè, ſi neſcis, in tuas Notitias retorquebuntur ſuo tempore, in quibus tu multa ad veritatis ſpeciem conformas, ea tamen falſa pluſquam eſſe, ſanctiori fide conſtat: ſed hæc ſuo tempore. Eadem verò regerentur egregiè in hiſtorias à te, tuique ſimilibus creditas, quarũ falſitas non tam à notis inuerſis, quàm à per-

uerſa veritate ſpontè patebit. Ceterùm Inchofer non inuertit notas literarum, ſed correxit, neque id pro libidine, ſed correctionis ſuæ eas attulit rationes, quas tu nec ſoluis, nec ſoluere poteris.

§. XXXIII

ANequam, ais, *ad calculorum emendationem, eraſionemque accedamus, rem ipſam, & datas Meſſanenſibus Deipara literas rationum momentis ſtabiliat neceſſe eſt, ac tum demùm de ſapientum more eas notas in iudicium vocet, caſtigetq; Inchofer, ſin autem id præſtare nequeat, vti mox conſtabit luculentius, dum notas deturbat, literas non tuetur, ſed ſe victum fatetur; turpique fuga ab vrgentis argumenti vi ſibi conſulit.* Hem quàm Thraſonicè.

Non diſcurris, Pirre; nam vel traditionem Parthenographij, vt veram poſuit Inchofer, ac tum ſi quæ erat antilogia in annorum notis rectè correxit, aut penitus deturbauit; vel certè princeps argumentum ab his notis pugnabat in Epiſtolam, & tum demoliendæ erant tamquam falſæ, quaqua tandem manu aliena appoſitæ. Quid ergo clamas, prius ſtabiliendam ipſam Epiſtolam, poſtea eas notas in iudicium vocandas, caſtigandas?

Vtrumque verò præſtitit Inchofer & ratione, & authoritate Flauij Dextri, qui adhuc ſtat, ſtabiliuit Epiſtolam, ac demum ſi nulla eſſet authoritas antiquior, eius traditionem, immotam conſtituit, & quidquid in eam pugnare videbatur ſubmouit. Et neſcis, Pirre, remotione eorum, quæ obſtare videntur, ſæpè ſtabiliri obſcuram alioqui veritatem, multoque facilius ea ſtabilita, contraria ſubmoueri? Quamquam in deliberando, quo pacto ſubſiſteret Epiſtola Deiparæ Virginis, non erat quærendum, an ſubſiſteret, eamque ob cauſam de conditionibus, & impedimentis agendum præcipuè.

Itaque

Digitized by Google

Itaque cùm Inchofer, quod verum eſſe exiſtimauit, prius etiam, quantum ſatis ſtatuit, ac confirmauit, deinde ex veritate accepta aliorum dicta per multa capita refutauit, & quid veri continerent, expoſuit; ſi enim interdum aliorum opinionibus, ac rationibus propoſitis, quæ præſertim à vero magis videbantur aberrare, eaſdem mox refellit, ſi deinde ad id, quod ſenſit ſtatuendum ingreſſus ſit, id quod maximè præſtitit, vbi de Traditione agere cœpit, ac demũ quatenus refutatæ opiniones ad veritatem viſæ ſunt accedere, paucis ex ſua ſententia viſus eſt perſtringere: ſi deniq; quod fortaſſe magis in toto opere eiuſdem elucet, propoſitis ferè primum pro vtraque parte ſententijs, ac rationibus aduerſis, quæ rem facerent ambiguam, maximèque ijs, quæ multis alijs veritatibus cum Traditione Meſſanenſium connexis pugnare ſunt viſæ, ſecundo loco intentum ſuum circa Epiſtolæ ſtatum determinauit, ac confirmauit; denique ex ea determinatione, ac confirmatione contrarias rationes, quatenus ſuæ ſententiæ repugnarent, diſſoluit.

Si hæc, inquam, præſtitit Inchofer, profectò optimi ſcriptoris, & diſputatoris munus expleuit: & dum inter alia notas illas falſas deturbauit, Virginis Epiſtolam egregiè tutatus eſt; nec ſe victum dedit, multoque minus, vt tu iactas, fatetur: nec denique turpi fuga ab vrgentis argumenti vi ſibi conſuluit, quin verò hoc argumentum, quod tu & anguſti ingenij homunciones magni fecerunt, cõtempſit prorſus, & irriſit, tantum abeſt, vt ab eius vi ſibi formidaret, ſed tu Thraculum imitaris, qui fortè abditus in ſaltu, prætereuntem non viſus cùm vidiſſet Achillem, à ſe metuentem fugiſſe poſtea iactauit.

§. XXXIV.

ID etiam in re tua vires argumento ſufficere putas, quòd Laſcaris, quem Meſſanenſes indicant, autographum He-

 braicum

braicum Virginis, quod Græcè reddidit, inſpexiſſe, ijs notis conſignatum Epiſtolæ exemplar prodidit. *Si ergo*, ais, *vir, vt aiunt, in paucis eruditus, & Meſſanenſium amantiſſimus ea vidit in autographo, vel ſaltem in eo libello, cui fidem adhibemus, quis non videat, eas notas temerè nunc reijci ab ijs literis, vel ſola ea de cauſa, vt in eadem peruicaciter opinione hæreamus.* Abundas, Pirre, vbi non eſt operæ pretium, deficis vbi plura ex te requiruntur. De hoc mendacio, quod Laſcaris Hebraicam Epiſtolam Græcè verterit, quodq; idem Meſſanenſes affirmant, iam alibi correctus es, nollem de te iuxta regulam iuris plus præſumere in eodem crimine. Credidiſti Inchofero ingenuè fatenti, Græcum exemplar Meſſanenſes non habere, quomodo nunc Bonfilio, quem ſemper arguiſti, credis, Laſcarim Hebræum exemplar inſpexiſſe, inde Græcè reddidiſſe: negat id Gothus, qui Græcè à Paulo redditam perhibet, negat Inchofer, negat Laſcaris ipſe, ſi credis dictis illius in prologo à te in tua Notitia recitatis, ſaltem in ijs de Hebræo in Græcum verſo à Paulo duntaxat Apoſtolo fit mentio, non verò, quòd Laſcaris Hebræum exemplar inſpexerit, Græcè verterit.

At vertit ſaltem latinè ex Græco, cuiuſcunque id Græcum fuerit? Quid tum? non ſequitur inde etiam eas notas in Græco inſpexiſſe, ſed demus præterea & Hebræum inſpexiſſe, num dabitur & notas eaſdē in eo vidiſſe? Vertens tamen ex Græco, num ipſe idem appoſuerit etiam notas errantes, vir in paucis eruditus? miror, quòd tam indiſcretè credas, Pirre, vt cùm poſsis à viro docto notam ignauiæ, an ignorantiæ propellere, tu notam incurras, leuis, & inconſtantis animi, ne quid amplius dicam.

At quemadmodum in narratione Laſcaris, à te relata quædam addita vides ad calcem, quæ, vt rectè narrauit Inchofer, nec tu videris diffiteri, à Laſcari profecta eſſe non potuerunt: ita debebas iudicare, quamquam verſio Latinè ex Græco Laſcari aſcribatur, eas tamen notas erroribus implicatas à viro docto aſſui minimè potuiſſe.

Proinde

Proinde non rectè iudicas, temerè eas notas reijci, ſed ſi prudens audire cupis, cum prudentioribus ſatage, neque in nugis, ſed in ſolidioribus neruum oſtende, quando non, vt tu putas, in his notis conſiſtit vis principalis argumenti, ſed in pluribus alijs, quæ tamen hactenus non attentaſti, forſan in loco pugnaturus.

§. XXXV.

PErgis. *Neque ſolum in annorum numero erratum eſt in hac Epiſtola, ſed in Indictionum etiam, Lunæ, & Feriæ notis, quæ ibi conſignantur, vt multi & inter eos P Chriſtophorus à Caſtro aduertit multa. Inchofer reſpondet, quæ facilè eſſet euertere, ſed ſuperſedendum cenſeo; ipſe enim eò ſe identidem recipit, quòd delendæ ſint eæ notæ per errorem additæ, cum ergo eadem de his reſponſio, ac de annis, eodem argumenti genere prematur, nihil hic de his amplius deſceptandum exiſtimo.*

Cramben repetis, Pirre, & cum Thracio Ruſticano oleas, & vites fruſtra cupis exſcindere. De Indictionum, Lunæ, & Feriæ notis, par ratio: tollantur. Quid inde? ſemper eadem replicas, vt dicere aliquid videaris. Multi id aduerterunt. Quid tum? inter ceteros P. Chriſtophorus à Caſtro: profectò ſine magno ingenio quiuis ſcripturarius, & actuarius aduertere poterat, num idcirco fides Epiſtolæ vacillabit? ſanè ſi ita eſt argumentandum, multa, vt & tibi eadem impingam, in tuis Notitijs fidem fallunt, aliqua in loco tetigi.

Multa porrò reſpondet Inchofer: ſcio, quæ an tu facilè intelligas, nedum euertas, neſcio: ſuperſedendum cenſes, prudenter. Nec ſolùm multa reſpondet Inchofer, ſed doctè: ac planè ingenioſè, datis vltro iiſdem notis ita conuincit ſciolum quendam calculatorem, vt planè ex eiuſdem principijs concludat veras eſſe eiuſcemodi notas, neque tamen ipſe ijs inhærendũ ſublimiori ex ſcientia cenſet. Id verò, ſi

quiſpiam

quiſpiam aduerſantium præſtitiſſet, planè in hac arce triumphaſſet, ſanè ſempiternam veritatem credidiſſet, omnibus alijs inſultaſſet.

Eandem ad hominem probationem, pluribus in altera editione perſecutus eſt Inchofer, neque tamen præ alijs habuit, penè contempſit. Ceterùm de Indictionibus, de Lunæ putatione, de Ferijs multa recondita eruditè protulit eatenus, vt non minimum luminis id genus tractatione ſapientum iudicio attulerit, eaque propter plurimum laudis ab erudito ingenio apud æquos arbitros retulerit. Quam ergo premat tur reſponſio Inchoferi, tuis, tuique ſimilium ſtrepitibus viderint, qui te nihil ad rem attuliſſe cognouerint.

§. XXXVI.

IIs ergo miſſis, quibus ſuperſedendum cenſes ad eam arcem demoliendam accedis, *in quam*, vt ais, *potiſſimùm ſe recipit Inchofer. Vult eius dicti nos eſſe memores, quòd à Chryſoſtomo prolatum magnoperè commendat Cyrillus Hieroſolymitanus. Eſt Traditio, nihil quæras amplius.*

Rectè: *Eo verò ſe ab oppugnatione tutiorem exiſtimat* (Inchofer) *quod multi è ſcriptoribus hoc Traditionis munimine multa ab impetentium iaculis defenderint.* Rectè, ſed poteras etiam addere multa ad religionem ſpectantia ab Hæreticorum impugnationibus tuta reddita.

Inter ceteros, ais, *Franciſcum Suarium doctiſſimum profectò virum affert, qui Traditionis argumento vrget pro D. Iacobi in Hiſpanias acceſſu.* Rectè. *Atque vt ſimulet ſe in pari cauſa verſari.* Hoc falſò: neque enim ſimulat, ſed apertè fatetur ſe in ſimillimo genere verſari.

Ad rem ſuam quoquo modo trahit: falsè; non enim quoquo modo affert argumenta Suarij, vt coactè hæreant, ſed per omnia ad amuſſim applicat, vt in ſimili per omnia genere probationis verſari videatur.

Imò

Immò illa aliquantulum eleuat, vt meliori cauſæ conditione gloriari videatur. Falsè; expreſsè enim cõtrarium dicit. *Non hæc dico quaſi rei tot fulcris ſpectatæ fidem eleuem.* Et rurſum. *Hæc non eo animo dicuntur à me, quaſi aut vacillare fidem hiſtoriarum velim, aut doctiſſimi viri* (Suarij) *quem ſemper venerabor, rationes eleuare, quippe quas præ aliorum ratiunculis* (etiam tuis, Pirre) *vndecunque cum labore conquiſitis, & corraſis, ideò expendendas ſuſcepi, quod ſola robur, ac firmamentum totius veritatis continerent.*

Adde, ſi Inchofer rationes Suarij eleuaſſet, certè ſuæ cauſæ plurimùm offeciſſet, verùm cùm eas efficaciſsimas putaret, eatenus expendit, vt à fortiori etiam pro fide Epiſtolæ Virginis militare oſtenderet. Argumentari porrò, aut à comparatione, aut à maiori ad minus, non eſt eleuare, ſed potiùs vt certum accipere, aut ſtabilire. Pirre, ſi noſti, alioqui ex antecedenti deſtrueretur conſequens.

§ XXXVII.

AT non es neſcius, quantum authoritatis, ac momenti ſit in Traditione à maioribus ad poſteros tranſmiſſa. Diſtingue de traditionibus, Pirre, alioqui multa inuolues. *Sed vnam de his literis Traditionem eſse in Meſsanenſi Ecclesia conſtanti animo,* ais, *pernego*: an etiam iures? quærerem ego ex te, quæ ſit vera Traditio. *Hic*, inquis, *qui de Virginali Epiſtola rumor per populares ſparſus increbuit, Traditio non eſt*; neſcio quid per traditionem intelligas; neque enim ego voco Traditionem rumorem per populares ſparſum, plura requiruntur, vt per manus ducta non tantum in ore popularium, ſed etiam in ſapientum Regni, Vrbis, aut Diœceſis alicuius figatur; neque enim hic agimus de Traditione Diuina Apoſtolica, aut quæ reſtrictiori vocabulo cenſetur Eccleſiaſtica ad omnium religionem directa.

Is rumor, ais, *à Conſtantino Laſcari traxit originem*: falſum

ſum: idque latè oſtendit Inchofer? an verò Laſcaris ex digito ſuxit? an ipſe primus inuenit? nimis inertem credas, qui id tam leuiter mentitus fuiſſet, & nimis ſimplices Meſſanēſes, qui illi ſine vlla alia ratione credidiſſent.

Laſcaris ſcilicet Meſſanenſibus Senatoribus eam Epiſtolam obtulit anno milleſimo quadrigenteſimo nonageſimo, die decimo tertio Septembris. Citas in margine Inchoferum cap. 37. fol. 232. Fallis, Pirre, vt mitiſsimè loquar, nihil ibi Inchofer de Traditione, nihil de Epiſtola Virginis Senatoribus oblata à Laſcari, ſed de datis quibuſdam à Petro Romæ ad Paulum literis, dum vel Melitæ eſſet, vel iam inde mouere incepiſſet, vel certè cùm iam Siciliam attigiſſet, quibus monebatur à Iudæis Romæ apud Neronem crimen ſibi, & necem parari, & quædam alia, quæ huc ſpectant. Eæ literæ ſeruabantur in quadam hiſtoria apud Calabros ſeruata, quam Laſcaris vertit, facilè tamē quodam lapſu in ſimilitudine vocum, vt Maius pro Martio irreperet, quem errorem correxit Inchofer ad veritatis normam, de qua ibi multis. Affert eius ſcripti argumentum Senatoribus Meſſanenſibus præſentatum anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo, die decimo tertio Septembris, in quo, cùm varia de Paulo narrentur, nihil tamen de huius Epiſtolæ traditione, vt cuiuis legenti manifeſtum euadit, cur ergo imponis, Pirre. Apponam paucis, quæ Inchofer habet, ne te forſitan grammatica feſellerit.

Iuuat autem (inquit Inchofer) *hoc loco breuibus argumentum eius ſcripti edere, ne quidpiam præteritum ſit, quod Lectoris animum morari queat, vel noſtrum in neceſſarijs inſtitutis mutilum opus redarguat. Narrat Senatoribus Vrbis Meſſanenſis præſentatum decimo tertio Septembris anni milleſimi quadringenteſimi nonageſimi, Indictionis octauæ (legendum puto, quartum; ſi putetur à ſecundo Cæſaris anno, vel tertium) ex Monaſterio S. Mariæ Trapoſtmatum, propter oppidum Diuæ Agathæ Calabrorum Diœceſis Rhiginæ, in quo inter alias homilias, & Sanctorum Martyrum Hiſtorias, ſed præcipuè Prin-*

cipum

cipum Apoſtolorum agones, ſermone vigeſimo quarto referuntur, quæ poſtea Conſtantinus Laſcaris Latinè dedit. Hæc Inchofer: ſequitur deinde narratio de Epiſtola Petri Paulo reddita.

En, Pirre, quid hic de traditione primùm à Conſtantino Laſcari Meſſanenſibus oblata, grammatica te feſellit, vel oſcitantia. Sed ita ne verſaris in lectionibus authorum, qui ſi eos deprauas, contra quos arguis, quid ex tuis Notitijs ſperandum, vbi ſine aduerſario quiduis pro arbitratu fingere lubet?

Narrat Senatoribus Vrbis Meſſanenſis præſentatum, &c. Verbum, narrat (vt te latinè doceam) non ad Laſcarim refertur, ſed ad eius ſcripti argumentum, cuius paulò ante meminit Inchofer, nec quouis modo ad eius ſcripti argumentũ, ſed quatenus cõtinetur in aduerſarijs Don Thomæ Marquet, quibus eo tempore vtebatur Inchofer, ſicut & multis alijs dignis monumentis, in ijs porrò quemadmodum & narratio aduentus Pauli, ita plura alia continebantur, quæ poſtea Conſtantinus Laſcaris latinè dedit.

Si in ijs aliquid traditur de hac traditione, atque adeò de Epiſtola Virginali, quæ poſtea Conſtantinus Laſcaris vertit, quomodo ab ipſo primùm originem habuit? ſi id ſcriptum anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo, decimo tertio Septembris fuit Senatoribus Vrbis Meſſanenſis præſentatum, quo modo illo anno à Laſcari traditio ortum habuit? quæ longè ante in eo ſcripto continebatur, quam à Laſcari videretur; viden, Pirre, quales antilogias, & parachroniſmos committas in paucis.

§. XXXVIII.

PErgis. *Ante ipſum apud neminem dictum quippiam eſt de bis Literis (mittis nunc Dextri autoritatem, de qua mox agam) & nihil eſt, quod eius fama initium ad remotiora producant tempora.*

M Falleris

Falleris Pirre, an fallis ? nam ex modo dictis, & in te retortis, ſi Laſcaris aliunde accepit, & vertit, ante ipſum alij dixerint, & ſcripſerint, neceſſe eſt, vt per manus ducta ſemper viguerit traditio, etſi nihil hic de Dextro dicas, proinde & famæ initium in remotiora neceſſariò tempora protenditur; quomodo autem & Laſcari eius propagatio famæ inceſſerit, alibi iam egimus, & pluribus accuratè narrat Inchofer.

Falleris ergo, cùm dicis *fidem refundi in Laſcarim hominem Græcum in Meſſanenſium gratia aucupanda ſollicitum*; caue ne tu hæc dicas ſollicitus in aucupanda aliorum gratia homo Siculus: num quia Græcus Laſcaris, idcirco tibi offenſus ? vide ne tu pluribus exoſus, qui plura, vt hactenus vidimus, quamuis Græcus non ſis, protuleris.

Porrò *in traditione non ſiſtimus*, inquis. Ego verò libenter te ab hac traditione libero, dummodo in alijs conſiſtas, neque nos in pleriſque, quæ tu in Notitijs dicis, ſiſtimus, quid inde ? ſtabit nihilominus Traditio, & Religio Meſſanenſium, etſi tu nihil credas.

Huc vis accedere famae inconſtantiam, quam oſtendiſſe te dicis; id ego nondum ex te accepi, ex communi tamen Meſſanenſium religione ita conſtantem ſuſcepi hanc famam, vt tibi, tuiſq; ſimilibus in illa conuellenda, nequicquam ſudantibus nihil deferam: immo hoc mage conſtantem, quo à vobis impetitur magis, nihil proficientibus, admirabor: ad id mihi ſemper conducent, quæ de hac conſtantia Inchofer egregiè ſcripſit, quæ tu tamen conſtanter præterijſti, ne fortaſſe libro tuo molem adderes.

Sed video te religioſum eſſe: quæris enim, qui fieri poteſt, vt Laſcaris, ſi nullum huius rei veſtigium apud Meſſanenſes reperiſſet, tam ſplendido mendacio fallere, & ferè illudere ſit auſus ? ſcrupulum tamen, vt cetera deſint, tibi eximit, quod nuper accidiſſe ais, *Quidam Græcus Antiſtes* (cuius nomini parcis) *fouere cæpit hanc Meſſanenſium opinionem de Virginea Epiſtola, vt eorum gratiam iniret.*

Fallis,

Fallis; nullum enim Græcum Antiſtitem his temporibus Meſſanæ adfuiſſe, apud omnes compertum eſt, quod ſi de Veneto quodā Carmelita Præſule intelligas, fallis iterum, ſi Græcum illum appelles, an ignoras, Latinos illos cenſeri, atque adeo nominari, quibus latino ſub ritu grex à Summo Pontifice commendatur, ad eorum differentiam, qui à Patriarchis Græco ritu Præſules inſtituuntur, & conſecrantur.

Infers tandem, *Si ergo hic Epiſcopus in animum induxit ſe eunctis perſuaſurum in Carmelitano Meſſanenſi Coenobio eſſe Virginis autbographum, cuius rei, ne rumor quidem exiguus inſonuerat Meſſanenſium auribus, ea tantùm ſpe illectus, quod facile ſit amantes, gloriaque cupidos decipi, haud difficile creditu ſit Laſcarim Meſſanenſibus, qui Virginem religioſè amant, & Patriæ laudis ſunt appetentiſſimi (vt loquitur Inchofer) eiuſdem Epiſtolam proferendo imponere, præſertim cùm eam è vetuſtis tabularijs exſcripſiſſe aſſereret, quod publicè, atq; à multis argui falſitatis haud poterat.*

Quid Antiſtes ille cogitarit, ego non contendam, nec damnabo hominem, antequam publica ſententia eum perſtringat, ea tamen ſpe fuiſſe illectum, *quod facile ſit amantes, gloriaque cupidos decipi*, ex tuo fingis, ſed eſto huic, vel cuiuis alteri in mentem venerit; ſe facilè perſuaſurum repertum iri Virginis autographum, quem vnquam Meſſanenſium deceptũ arguis ex improborum illuſionibus? quin imò ſi verum eſſet, quod tantopere conaris oſtendere, hinc Meſſanenſium oculata eluceret conſtantia, ſe non facilè decipi paſſos, ex ingenioſa perditorum hominum calliditate. Neque enim ij ſunt Meſſanenſes, quos apud Gregorium Magnum libro ſecundo, Epiſtola trigeſima ſeptima, Naſan quidam Iudæus Eliam ſe mentitus ſeduxit, & ad ſui adorationem altari extructo facilè permouit; vbi verò id, Pirre?

Meſſanenſes nationem patriæ laudis appetentiſsimam appellat Inchofer, & loquitur præſertim de ſcriptoribus,

M 2 nec

nec ſcelus eſt, ſi extendas ad omnes, neque tamen temerè, & ſine iudicio appetunt laudes ſuas, ſed quatenus ijs ſtimulis à væcordia eximuntur, quod ſatis clarè inſinuat Inchofer, eòque ſunt omnes ſuarum prærogatiuarum tenaciſsimi, vt vita potiùs, quàm honore decidere malint

Porrò, à quouis, vt fingis, facinoroſo non eſt odioſa comparatio extendenda ad Conſtantinum Laſcarim nobilitate, & literis clarum, diu apud Meſſanenſes commorantem, & docentem, qui & plures ex Italia nobiliſsimos ad ſe audiendum celebritate nominis ſui exciuit, vt proinde non ſine cauſa Inchofer in Viri laudem, multa in ſecunda potiſsimum editione, in medium attulerit, quæ omnem ſiniſtræ famæ opinionem, quam tu immerenti, vt facilis es, temerè imponis, longè dimouent: qui enim is homo talem impoſturam concinnare ſit auſus, qui cùm tot annis Meſſanæ habitarit, à perſpicaci, & acuto hominum genere non eſt deprehenſus? Apage puerilem in obloquendo facilitatem.

Crediderim, ais, *plurimos Meſsanenſium, ac ſapientiſſimos viros fidem Laſcari tunc non adhibuiſse: maxima enim celebritate ea res fuiſset excepta, ſi credidiſſent omnes.* An verò non fuit excepta? vnde tu noſti contrarium, vel ſi minus fuit excepta. de re conſueta, etiam famæ vetuſtate conſeneſcente, agebatur, quæ inde nouæ ſollemnitatis cauſa tanquam ob rem inauditam?

Aliqui tantùm rem vulgarunt: quinam illi? *poſt Meſsanenſes Caniſius, Mutius Iuſtinopolitanus, & ceteri eius ætatis celebriori videlicet fama commendarunt; inde non temere noti. Et anno milleſimo ſexcenteſimo circiter increbuit ex aliorum contentione, & irriſione fama, atque ciues omnes ad partes traxit.* Quaſi verò non antè etiam ſcripſiſſent alij, quos deinde ſecuti ſunt ſcriptores Siculi, atque vt à ſextodecimo ſeculo, quàm plurima ad glorificandam Virginem Deiparam, creſcente in dies in maius religione edita ſunt, & variè in ſcholis etiam diſceptata, ita hæc etiam Meſſanenſium pietas diſputando cœpit augeri, cui nihil obfuit, quod ali-

quorum

quorum irriſione ſit accepta, vt pleraque etiam alia olim ad pietatem ſpectantia de quibus multa Inchofer.

Poſtremum addis, *haud inſolens fuiſse Laſcari aliquid in Meſſanenſium gratiam comminiſci; ipſe enim fabulam dedit de Arcadij priuilegio Meſſanenſibus dato, in quo quàm egregiè mentiatur ſatis oſtendunt, qui illic ſunt parachroniſmi, & paradoxa.* Nimis facilis es, Pirre, ad detrahendum. Antequā Laſcaris in rerum natura eſſet ea hiſtoria, vel, vt tu ais, fabula, in omnium Meſſanenſium ore verſabatur. Maior apud me eſt fides Franciſci Maurolyci, quàm tua, maior & aliorum, qui eam ex antiquiſsimo Codice Græco, Regum geſta continente, qui Meſſanæ in Cœnobio Patrum Ordinis Diui Baſilij olim ſeruabatur, & Conradi Siculorum Principis, ac Romanorum Regis mandato per Emanuelem de Magijs Callipolitanum, & Richardum Frumentinum latinitate donata, multis deinde & ſcribendi, & admirandi materiam præbuit.

Quid ad hæc ais, Pirre? quo ſeculo vixit Conradus? quis hic mendacij poſtulandus? certè ſi quid in ea hiſtoria eſſet cōmenti, viri hiſtoriarum, & omnis antiquitatis peritiſsimi, cuiuſmodi ſunt in paucis Alanus Copus, Iacobus Gretſerus, vt alios mittam apud Inchoferum eius hiſtoriæ laudatores, Viri inquam iſti deprehendiſſent fucum, nec in præclariſsimis ſuis lucubrationibus, ſine inductione extare voluiſſent. Quos verò tu parachroniſmos, & paradoxa oſtendas, vereor ne tui potiùs ſint paralogiſmi, & ſyllepſes. Nam quod de Palæologis quidam obuertunt præclarè ea, vt pleraq; refellit Inchofer in noua editione, ex peritioribus explicans occaſionem alijs errandi, qui obuia duntaxat verſare norunt.

§. XXXIX,

§. XXXIX.

SEd *fucum*, ais, *fortaſſe faciat*, *ac Traditionem firmare alicui videbitur perantiqua in Templo Cathedrali Meſſanenſi B. V. appellatio, cuius effigies etiamnum apud vulgus Virgo de Literio dicitur; ea enim à literis fortè ipſius Virginis ducta videri poterit. Imò, ſi Philippo Gotho credimus, ipſum Cathedrale Templum Deiparæ ſub ea nuncupatione dedicatum eſt.*

Non te hic moror, Pirre, video enim non benè te legiſſe authores, qui de extructione Templi Cathedralis de effigie Virginis, de ſollemni ſupplicatione honori Pauli dicata, ob primum ab eo illic inſtitutum Epiſcopum Barchyrium, exquiſitè, & multis tractant, ſaltem legiſſes Inchoferum, qui plurimorum narrationes expendit, quando ſemel illum hoc loco præcipuè impugnandum ſuſcepiſti.

Quaſi quia Templum Cathedrale *S.* Maria noua appellatur, idcirco non potuit Virgini dicari, ob vetus beneficium, aut non aliud fuerit vetuſtius Templum eidem ſacratum, longè antequam recentius iſtud fuiſſet excitatum, aut quaſi noua dicatur ratione extructionis, non ratione Cathedralis vetuſtiſsimæ alio loco exiſtentis, omnia iſta te expendiſſe oportebat, vt aliquid ad rem afferres; nam, vt noua vocetur, cùm habitu ſit penè carioſæ vetuſtatis, aliam habet cauſam, quàm tu ex authoribus addiſcere debuiſſes, an præterea Templum Cathedrale, vel potiùs *S*acellum, in ea extructum nomen Virginis à literis ferret? quæ niſi tu primùm didiceris, nolo tecum tricare; neque enim diſputandum cum iis de materia artis, qui terminos artis ignorant, aiebat ille.

Iam quod de effigie Deiparæ, quæ vulgò à literis, vel literino, vt tu putas, nomen traxit, ſi tuo more libet argumentari, vt ex narrationum diuerſitate falſitas arguatur, licebit hoc loco in te regerere. Aliter narrat Franciſcus Baroni, aliter

Digitized by Google

aliter is Anonymus, quem Inchofer perſtringit, aliter ij, quos tu citas, aliter alij præter Meſſanenſes; nam, vt tu aliquos tecum ſentire putes, mihi ſuſpectus es. Manebit nobis ea traditio multis probata, quam tenemus, quam Inchofer rectè, & eruditè propugnat, multoque eruditius in altera editione refellit quorundam noua de litterio ſomnia. Antiqua literij à litera eſt nuncupatio, non eſt, vt te perplexum reddat.

Quod ſollemnem pompam, & ſupplicationem in B. Pauli honorem tunc primùm cœptam arbitraris, cùm oſsium fragmenta è D. Pauli corpore in eam Vrbem inuecta ſunt, quibus eam Eccleſiam nobilitauit Sanctius de Heredia, nimium vſurpas, cùm *prudenter*, dicis, *te arbitrari*, malè tamen arbitraris, & ego arbitror contrariũ; plus enim, quàm tuus arbitratus valet apud me Meſſanenſium Traditio, firmata etiam Ordine Diuini Officij recitandi, quem pro hac Diœceſi ſeruandum typis de more mandant Meſſanenſes Archiepiſcopi, eam ſcilicet ſupplicationem obire quotannis memoriæ gratæ cauſa, quà à D. Paulo & Euangelium, & primum Epiſcopum acceperunt; tu verò iſthæc neſcio, quibus anilibus ponderationibus euertas? excindas? ſcilicet.

At Franciſcus Maurolycus non meminit in Martyrologio. Lubricus ſanè locus eſt pro rebus tuis, ſi ex Maurolyco liceat argumentari: non credis Maurolyco poſitiuè, quod dicitur aſſerenti hiſtoriam Arcadij, & nunc inducis non quidem negantem, quod Meſſanenſes communi religione tenent, ſed tacentem, quæ iſthæc Dialectica? quid tum? num in Martyrologiũ, quod ipſe ſecundum morem Eccleſiæ Romanæ ſcripſit, inferendæ erant omnes ſupplicationes? quæ in die D. Cæciliæ ſolemni pompa peragitur, ob liberatam à Gallorum obſidione Ciuitatem, & plura etiam alia miſit, quia breuitati ſtuduit, nec fuit eius inſtitutum pompas Eccleſiarum deſcribere, ſed quorundam locorum reliquias tantùm verbo ſignare, idque in calce; alioqui &

Catanæ

Catanæ inſignis per octiduum ſupplicatio ob memoriam D.Agathæ,& Panromi ob religionem D.Chriſtinæ feſta celebritas,quia Maurolycus non meminit,langueſcent in memoria hominum, aut fide carebunt.

Eadem reſponſione retunditur,quod de Bacchylo primo Epiſcopo Meſſanenſi videris obiectare, nullam ſcilicet eius mentionem fieri in Martyrologio. Rectè: ſed ipſe Martyrologium ſcripſit ſecundùm morem Eccleſiæ Romanæ, vt ſtatim prodit in fronte;nec meminit eorum,quæ vel in proſpectu Meſſanæ acta ſunt, Stephani inquam Nicæni, primi Rheginis à Paulo inſtituti Antiſtitis,quin etiã Placidi Meſſanenſium tutelaris valdè paucis meminit. Et plus eſt Lucam multa omiſiſſe in actis, quemadmodum eruditè oſtendunt Baronius, Inchofer, & alij,quàm Franciſcum Maurolycum in Martyrologio.

§. XXXX.

EXcuſas te, Pirre, de audacia, quod verbis libelli, quem Meſſanenſes pro diuinis precibus recitandis quotannis cudunt de tua ſententia non dimouearis: ideſt, quod Meſſanenſium Eccleſiaſticæ conſuetudini, eo libello ſignificatæ fidem non habeas? cur? quia ipſi Sacerdotes Meſſanenſes illum non magnifaciunt: hæc enallage hic locum non habet, cùm indefinita propoſitio æquiualeat vniuerſali; omnes videlicet Sacerdotes Meſſanenſes quanti illum faciant, mox apparebit,proinde ſi fallit in vno, falſa eſt in toto.

At vnum tu affers, qui fortè æquiualeat omnibus? malè: quemnam? Albertum Piccolum. *Is cùm nuper de Antiquo Iure Eccleſiæ Siculæ ſcriberet, Primum Epiſcopum, eumque Bacchylum, non à D. Paulo, ſed à D. Petro datum contendit, vt dixi* (ſcilicet pag. 232.) *ſed illud nunc perpendo, Sacerdotem hunc ſanè eruditum, qui ſe legiſſe librum illum diſſimulare*

re non poteſt, qui apprimè ſuæ Eccleſiæ traditiones nouit, quæ in eo libello dicuntur contemtiſſe (contempſiſſe, opinor, ſcripſiſti) *quo minùs mirandum eſt, ſi apud me, qui aduentum illum D. Pauli Meſſanam, & Bacchyli conſecrationem, & B. Virginis Literas multis rationibus negare compulſus ſum, fidem non inuenerint.* Hæc tua ſunt, Pirre, quot verba, tot myſteria.

Verba Alberti Piccoli. *Quod ad Epiſcopalem dignitatem pertinet, clariſſimum eſt, eam antiquiſſimam Meſſanæ eſſe, cùm & eius Eccleſiæ Tabulæ, & fama per manus ducta, vel ab ipſo Chriſtianæ Religionis exordio, Bacchylum primum Epiſcopum prædicent. Quod nemini dubium eſſe debet, qui apud Nicephorum, & Sophronium legerit ab Apoſtolorum Principe plures in Sicilia Epiſcopos creatos eſſe, qui item ex Hugone Aetheriano, ex Democbare acceperit, Petrum magnum Chriſti Apoſtolum in omnibus ferè Syriæ, Cappadociæ, Phrygiæ, Macedoniæ, Hellados, Cypri, Epiri, Siciliæ, Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ ciuitatibus Epiſcopos ſtatuiſſe. Quo etiam reſpexiſſe poſt Leonem D. Gregorius videtur, qui à D. Petro Eccleſiam Siculam originem habuiſſe, planiſſimè teſtatur.* Hæc Albertus.

Vbi verò hic, quod dicis de contemptu illius libelli, Ordinis Officij recitandi: an quia Piccolus non meminit Pauli, qui primus traditur inſtituiſſe Bacchylum. At non meminiſſe, non eſt negare, multò minus contemnere libellum, aut quæ in illo libello continentur. Sed neque expreſſe dicit Piccolus, Bacchylum à D. Petro inſtitutum, demus tamen id velle, ne tricemus. Non pugnant hæc duo. Petrum deſignaſſe quidem Meſſanenſibus Bacchylum, ſed à Paulo fuiſſe ordinatum, & introductum, vel quemadmodum tu ipſe ex Inchofero notas, D. Pauli induſtria, & prædicatione ita fuiſſe ſurrectam, & altioribus radicibus editam Meſſanenſium religionem, vt tunc primum cœpta, & fundata ciuium animis videri poſſit.

Quod, ſi dicatur, quid mirum, ſi ea ſupplicatio quotannis obiri queat, nec quicquam Petro præiudicij ſit, qui multis

Catanæ inſignis per octiduum ſupplicatio ob memoriam D.Agathæ,& Panromi ob religionem D.Chriſtinæ feſta celebritas,quia Maurolycus non meminit,langueſcent in memoria hominum, aut fide carebunt.

Eadem reſponſione retunditur,quod de Bacchylo primo Epiſcopo Meſſanenſi videris obiectare, nullam ſcilicet eius mentionem fieri in Martyrologio. Rectè: ſed ipſe Martyrologium ſcripſit ſecundùm morem Eccleſiæ Romanæ, vt ſtatim prodit in fronte;nec meminit eorum,quæ vel in proſpectu *M*eſſanæ acta ſunt, Stephani inquam Nicæni, primi Rheginis à Paulo inſtituti Antiſtitis,quin etiã Placidi Meſſanenſium tutelaris valdè paucis meminit. Et plus eſt Lucam multa omiſiſſe in actis, quemadmodum eruditè oſtendunt Baronius, Inchofer, & alij,quàm Franciſcum *M*aurolycum in Martyrologio.

§. XXXX.

EXcuſas te, Pirre, de audacia, quod verbis libelli, quem Meſſanenſes pro diuinis precibus recitandis quotannis cudunt de tua ſententia non dimouearis: ideſt, quod Meſſanenſium Eccleſiaſticæ conſuetudini, eo libello ſignificatæ fidem non habeas? cur? quia ipſi *S*acerdotes Meſſanenſes illum non magnifaciunt: hæc enallage hic locum non habet, cùm indefinita propoſitio æquiualeat vniuerſali; omnes videlicet Sacerdotes Meſſanenſes quanti illum faciant, mox apparebit,proinde ſi fallit in vno, falſa eſt in toto.

At vnum tu affers, qui fortè æquiualeat omnibus? malè: quemnam? Albertum Piccolum. *Is cùm nuper de Antiquo Iure Eccleſiæ Siculæ ſcriberet, Primum Epiſcopum, eumque Bacchylum, non à D. Paulo, ſed à D. Petro datum contendit, vt dixi* (ſcilicet pag. 232.) *ſed illud nunc perpendo, Sacerdotem hunc ſanè eruditum, qui ſe legiſſe librum illum diſſimula-*

re

re non poteſt, qui appriinè ſuæ Eccleſiæ traditiones nouit, quæ in eo libello dicuntur contemtiſſe (contempſiſſe, opinor, ſcripſiſti) *quo minus mirandum eſt, ſi apud me, qui aduentum illum D. Pauli Meſſanam, & Bacchylii conſecrationem, & B. Virginis Literas multis rationibus negare compulſus ſum, fidem non inuenerint.* Hæc tua ſunt, Pirre, quot verba, tot myſteria.

Verba Alberti Piccoli. *Quod ad Epiſcopalem dignitatem pertinet, clariſſimum eſt, eam antiquiſſimam Meſſanæ eſſe, cùm & eius Eccleſiæ Tabulæ, & fama per manus ducta, vel ab ipſo Chriſtianæ Religionis exordio, Bacchylum primum Epiſcopum prædicent. Quod nemini dubium eſſe debet, qui apud Nicephorum, & Sophronium legerit ab Apoſtolorum Principe plures in Sicilia Epiſcopos creatos eſſe, qui item ex Hugone Aetheriano, ex Demochare acceperit, Petrum magnum Chriſti Apoſtolum in omnibus ferè Syriæ, Cappadociæ, Phrygiæ, Macedoniæ, Hellados, Cypri, Epiri, Siciliæ, Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ ciuitatibus Epiſcopos ſtatuiſſe. Quo etiam reſpexiſſe poſt Leonem D. Gregorius videtur, qui à D. Petro Eccleſiam Siculam originem habuiſſe, planiſſimè teſtatur.* Hæc Albertus.

Vbi verò hic, quod dicis de contemptu illius libelli, Ordinis Officij recitandi? an quia Piccolus non meminit Pauli, qui primus traditur inſtituiſſe Bacchylum. At non meminiſſe, non eſt negare, multò minus contemnere libellum, aut quæ in illo libello continentur. Sed neque expreſſe dicit Piccolus, Bacchylum à D. Petro inſtitutum, demus tamen id velle, ne tricemus. Non pugnant hæc duo, Petrum deſignaſſe quidem Meſſanenſibus Bacchylum, ſed à Paulo fuiſſe ordinatum, & introductum, vel quemadmodum tu ipſe ex Inchofero notas, D. Pauli induſtria, & prædicatione ita fuiſſe ſurrectam, & altioribus radicibus editam Meſſanenſium religionem, vt tunc primum cœpta, & fundata ciuium animis videri poſsit.

Quod, ſi dicatur, quid mirum, ſi ea ſupplicatio quotannis obiri queat, nec quicquam Petro præiudicii ſit, qui multis

Digitized by Google

de cauſis iam in Sicilia celebris, Romæ tamen Sedem fixerat Apoſtolicam: quid ſi Piccolus, vt alij, loquatur de authoritatiua, quod dicitur, Petri inſtitutione, taceat verò de executione, quam Paulus effectui mandarit, vt hic quoque locum habeat illud Innocentij ad Decentium Eugubinum, Hiſt. xI. *Quis neſciat, in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, Inſulaſque interiacentes nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut eius ſucceſſores conſtituerunt ſacerdotes.*

Quare non eſt, Pirre, vt quod de induſtria, nec in loco facis, Piccolum non amplius remordentem laceſſas, dum eius dicta in inuidioſam falsò derorques interpretationem. Quo ſemel conſtituto, nec Diui Pauli aduentũ Meſſanam, nec Bacchyli conſecrationem, nec B. Virginis literas vllis rationibus negare, vt putas, compelleris.

§. XXXXI.

R*Eſtat, vt quæ ad tuendam D. Mariæ Epiſtolam præſidia ab Scriptorum authoritate ſibi compararit Inchofer diſijciamus,* ais. Inchofer porrò tricenos minimum cenſet authores, tu vix ternos, aut quaternos; qua fide?

In primis Lucium Flauium Dextrum ad examen vocas, exceptis quorundam notis, Cornelij à Lapide, Matthæi Raderi, & multò maiorem meritò tibi inijciunt dubitationem, quæ de eodem narrat Inchofer ex literis ad ſe datis Lamberti Strauij, & Ioannis Geleni, vt hinc noſcas Viri candorem, & integritatem, qui, cùm nemo hactenus acriùs defẽdere viſus ſit Flauium Dextrum, nihil tamen, quod tum ſe obtulit, difficultatis diſsimulauit, nec tamen idcirco fidem illi infregit, quin etiam ab alijs obiecta pro re ſatis diſſoluit.

Quæ porrò ei tu obijcis, præter ea, quæ ex modò dictis authoribus attuliſti, parum momenti habent: plura ſunt,

quæ

quæ militare videri queant, quæ tamen hoc loco nec ad meum, nec ad tuum forum ſpectant. Inchofer ipſe in noua editione alias quaſdam difficultates in præfatione ad lectorem attulit, & nihilominus eiuſdem authoritate vſus eſt, quamquam nec in prima ita ipſum tutatus ſit, vt præ Traditione eſſe vellet, qui vel miſsis authoritatibus, ſoli Traditioni nitendum non ſæpè profeſſus eſt.

Quæ verò tu narras ex relatione viri cuiuſdam, & eruditione, & pietate inſignis digni, quem honoris cauſa nominares, niſi ipſe ad effugiendum Meſſanenſium offenſionem deprecatus eſſet, fabulæ ſunt. Inchofero alia, & certius quidpiam ſubeſt, quod, cum eo quod modò ad poſtulata magnorum ſanè virorum non nemo meditatur, examine, in dictum Flauium Dextrum propediem viſuri ſumus.

Plura, quæ tu contra eum affers ad deſtruendam Epiſtolæ fidem, leuia ſunt, & ab Inchofero inter difficiliora, quæ ipſe ſibi oppoſuit diſſoluta. Vnum verò, etſi leuiſsimum ſit, quia tamen tibi Achilles videtur, quàm leui nitatur arundine, afferendum?

Oportuit, ais, *Meſſanenſes iam ferè omnes, atque in primis Vrbis Primores, ac Magiſtratus in Chriſti Religione fuiſſe, vt ea celebritas* (Epiſtolæ ſcilicet, cuius meminit Dexter) *tunc vigeret: at id à vero aberrat; nam Idolorum cultum multis etiam poſt annis, eumque publicum Meſſanæ deprehendimus; ad annum centeſimum vigeſimum circiter ſcriptionem illam inſculptam oportuit, quam Georgius Gualtherus inter ceteras veteris aui Tabulas tota collectas Sicilia repoſuit, ea verò eſt in columella bicubitali in ipſo D. Mariæ Cathedrali Templo bis concepta verbis*, AESCVLAPIO, ET HYGIAE SERVATORIBVS VRBIS TVTELARIBVS. *Ex altera verò parte.* AELIO HADRIANO ANTONINO AVGVSTO PIO PATRI PATRIAE, *Non ergo ad Chriſtianam religionem Meſſanenſes ferè omnes, ac Primates conuerſos eſſe credibile ſit, qui Idolis adhuc anathema dedicabant, niſi fortè à Chriſto poſt receptas literas defeciſſe quis credat, quod mihi perſuadere vnquam haud potero.*

Eſt ſanè argumentũ leue, & ad feriendos duntaxat Meſ-

ſanenſes non ſuo loco, nec neceſſariò ſedens. Exiſtimabas fortaſſe celebrem memoriam tum eiuſmodi eſſe debuiſſe, quæ hodie agitari ſolet luminaribus, campanarum plauſu, & tormentorum æneorum boatu, & non ſatis fuiſſe, quod feſta in Templo memoria ſacrificijs incruentis, & religioſa ciuium memoria coleretur.

*S*cio Inchoferum non ſemel hoc laudis Siciliæ tribuere, vt à ſuſcepta ſemel fide nunquam, vel tota vna ciuitas aliquando deſciuerit, quanquam ſubinde hæreſes quædam ita nonnulla loca peruaſerint, vt tamen capita, & Magiſtratus, & fidei Antiſtites nunquam afflarint: quid igitur magnoperè mirandum fuiſſet, ſi vel tum aliqui Gentiles adhuc recenti à conuerſione ſeculo extitiſſent, qui ea inſcriptione Æſculapio, & Hygiæ vota tuliſſent, quando, vt nuper retuli, ſexto etiam à Chriſto ſeculo, & quidem viuente Gregorio Magno, fuere homines Siculi, qui impium illum Eliam ſe mentitum extructa arâ venerarentur.

Ceterùm tu, qui paulò ante Cathedralem Meſſanenſem Mariæ Nouæ nomine compellari dixiſti, nimis eam vetuſtam facis, ſi ab ea columella bicubitali inſcripta, quæ in eadem Cathedrali viſitur, gentilitatem nondum exuiſſe tum *M*eſſanenſes contendas, aut ſi longè poſt illatam eam columellam velis, aliter tibi ſano iudicio vtenti ſentiendum erit. Atque, vt ſemel te, alioſque, qui hoc argumento ludiere nituntur, erudiam, hæc accipe.

§. XXXXII.

CVm idem argumentum in Franciſci Baroni libello inani, in primis vidiſſem, contempſi à te verò recens regeſtum mirari cœpi: & cùm Albertus Piccolus iam fato functus fuiſſet, ad Inchoferum literas Romam dedi, meumque illi ſenſum pateſeci pluribus, vt quid is ſentiret explorarem: placuit viro ratiocinatio, reſponditque ſe eadem iam pridem

pridem excogitaſſe, cùm Georgij Gualtheri Tabulas perlegiſſet, qui ſicut in ceteris, in his quoque ſe conſuluiſſet, in errorem Vir alioqui eruditus non impegiſſet, & niſi iam ad plures abiiſſet; facilè cum facturum fuiſſe, vt is error calamo induceretur, ſe porrò in noua editione detecturum eum errorem, vt nemo poſthac eo argumento vti auſit, niſi in eruditione antiquitatis planè infans, & ridiculus haberi velit (fecit verò id præclarè alius quiſpiam, vt vix melius poſſit) eius ego notam non grauabor exſcribere.

Nam cum cap. 59. fol. 459. de Meſſanenſibus dixiſſet, *Statim, atque primum Chriſto nomen dedere, ſuſceptam ſemel fidei cauſam non modò nõ deſeruere, verùm etiã in medio ſuperſtitionum foro, atque adeò inter ipſa impietatis ſubſellia, validis ſemper pietatis argumentis Patrona Deipara firmauere.* Hæc, inquam, & plura, quæ illo capite dicit de religione varijs viciſsitudinibus impetita, vt ab ridicula illa obiectione, quam tu, Pirre, magnifacis vindicaret; his deinde firmauit. *Extat Meſſanæ in ſummo Templo propè Sacrarium iuxta ſecundum intercolumnium columella bicubitalis aquam luſtralem ſuſtinens, hac inſcriptione, ex qua nonnulli temerè ſuſpicati ſunt Meſſanam poſt agnitum Chriſtum, iterum aliquando ad gentilitatem deſciuiſſe.*

Æſculapio,		*Ælio Adriano*
Et Hygiæ	retro	*Antonino*
Seruatoribus		*Auguſto Pio*
Vrbis Tutelaribus		*Patri Patriæ.*

Refert eam Georgius Gualtherus in Tab. Antiqu. Sicil. Et Æſculapium ſingularem Meſſanenſium tutelarem inde arguit, imò & Ciuem. Non nemo opinatus eſt eam inſcriptionem factã ante acceptum lumen Euangelij, integra adhuc ſuperſtitione, imò ante ortum Chriſti. Nam quod ex altera parte Imperatorum poſt Chriſtum viuentium nomina exſignentur, rudenario marmori noua inſcriptio, priori neglecta acceſſit: quòd præſertim

tim iſti Chriſtianis æquiores eſſent, ex Dion. Xiphilin. in epiſt. & Scoliaſt. Platina in Hygino; & alij. Sanè eiuſmodi inſcriptio Romanum poſt natum Chriſtum morem non olet, ſaltem qui interuallo duorum ſeculorum vigebat, intra quod tamen temporis ſpatium, ſi vtraque inſcriptio ſimul edita eſt, gentilitiam illam religionem ſignatam oportuit. Vide paſſim Inſcriptiones Appiani, Iani, Gruteri, Berginaldi, Coronei, Iuſti Lipsij, & aliorum.

Lego apud Ouid. lib. 2. Met. Æſculapium ſalutiferum, & lib. 15. opiferum. Et Hygeiam primam ex filiabus vocatam, quæ ſicut Græcis, ita Romanis Latinè [Salus] non nemini [Sanitas] culta fuit, cuius etiam Templum P. Victor in ſexta Vrbis regione ſtatuit. Sed & ſanitatis ſymbolum penthagono ſchemate (cuiuſmodi Clau. ex Camp. 32. pri.) veſtibus, & parietibus inſcriptum celebre fuit. V. apud Lucian. l. de eo, qui inter ſalut. &c. Itaque non à Meſſanenſibus eam columellam inciſam, ſed Roma allatam certius. Nec facilè coniectu, quod imaginatur Gualtherus, Samnites peſtis cauſa Meſſanam cõpulſos potiùs, quàm Romam viciniorem, vbi Templum ſalutis erat: præſertim cùm illo tempore bellum Samnitibus cum Romanis non eſſet, & ſæuiente peſtilentia Romæ quàm maximè Apollini, Æſculapio, & Saluti dona voueri ſolita, inſpectiſq; libris à Decemuiris, valetudinis cauſa ſupplicationes in Vrbe decerni. V. Liuium paſſim, ſed præcipuè Dec. 4. lib. 10. Vt iam illud [Seruatoribus Vrbis] non Meſſanæ, ſed Romæ tribuendum ſit à ſapiente. Et ſatis notum ex L. Floro Epiſt. lib. 1. in 2. Dec. Tit. Liu. [Cùm Ciuitas peſtilentia laboraret, miſſis Legatis, vt Æſculapij ſignum Romam ab Epidauro transferrent; anguem, qui ſe in nauem eorum contulerat, in quo ipſum numen eſſe conſtabat, deportauere, eoque in Inſulam Tyberis egreſſo eodem in loco ſedes Æſculapij conſtituta eſt.] Sed neque Feſtus, quem Gualtherus ſua coniecturæ patronum putat, aliquando ait Samnites peſtis cauſa Meſſanam cõfugiſſe, quaſi à peſte tuti forent, ſed quia, Apollinis oraculo pulſi quidam quòd eorum ſcelere peſtilentia non ceſſaret, in Siciliam venerunt, atque ibi conſidentes,

cùm

cùm auxilio in bello Meſſanenſibus eſſent, ab eis in partem Vrbis, atque agri recepti ſunt, vocati Mamertini, quòd collectis in ſortem duodecim Deorum nominibus, Mamers ſorte exierit, quo lingua Oſcorum Mars ſignificatur. V. Alſium lib. 1. belli Carthag. ex quo Volater. lib. 6 Geogr. in locis Siciliæ.

Inanis etiam eſt ſuſpicio, Æſculapium Ciuem fuiſſe Meſſanenſium; ſubrepſit nimirum ex Lactantio, Meſſenium fuiſſe, verùm Epidauri habitaſſe. At iſte non Meſſenium dixit, hoc eſt Meſſanenſem, ſed Meſſenium à Meſſenia regione Peloponneſi, in qua Ciuitas non Meſſana ſed Meſſena apud meliores dicta. V. Arnald. Pontac. in not. ad Chron. Euſeb. Tullius Aeſculapij vocabulo tres fuiſſe commemorat, nihil tamen de Meſſanenſi. Lilius Gyrald. in Hiſt. Deor. *Syntag. 7. quicquid ad Aeſculapium ſpectare poteſt diligentiſſimè colligit, nec tamen vſquam meminit Aeſculapij Meſſanenſis, & originem eius longè aliò deducit: Non nego in Sicilia quoque, ſicut alibi, cum Ioue, & Diana præcipuè cultum: ſed quid hoc ad rem?* Hæc Inchofer.

Viden, Pirre, quàm nulla ſit tua illa ab Æſculapio, & Hygia ex Gualthero deprompta eruditio, vt qui ex illa religionem Epiſtolæ impetere velit, non duntaxat Æſculapio contra peſtem inſcitiæ, ſed etiam Hygiæ mentis indigeat.

§. XXXXIII.

FRanciſcum Biuarium deinde inceſſas virum doctum, & de literis benè merentem: quòd dixerit, ſe eam Epiſtolam Hiſpanè loquentem reperiſſe in Bibliotheca inſignis ſui Cœnobij: *neque enim tanta ſeſe tuendi diligentia proderit, quæ falſitatis ſæpè comes eſt.*

Nimis facilis es, Pirre, nunc nimiam diligentiam, nunc oſcitantiam accuſas. Sed mauis credere *Biuarium deceptum ab reperta ibi Epiſtola ab alio intruſa, vt in tempore appareret, quam Procur atorem Generalem Ordinis Ciſtertienſis precibus adactum importunis, vt authoritatem ſua ſcriptione conciliaret Epiſtolæ.* Erras.

Erras, Pirre, & facilè loqueris. Dederat pridē literas ad Biuariū Inchofer, ſciſcitatus quàm vetuſta ea eſſet Hiſpana verſio. Reſpondit humaniſsimè, vetuſtam ſatis videri, ac ſaltem vetuſtiorem, quàm vt ſubreptitia videri queat; exiſtimabat enim Inchofer, exemplar eius eſſe, quam vel Marchio Villenæ ſecum intulit, vel inclyta Regina Philippi Secundi coniux è collo geſsit. Plus ego his teſtibus credo, quã cuiuis obliquè loquenti.

Erras iterum, Pirre, cùm credis importunis adactum precibus Biuarium, vt de hac Epiſtola ſcriberet: idem facilè dicturus de alijs, qui ſcripſerunt: qui in hac te tibi fidem habeat, ſi cogitet Biuarium ſponte ſua in Flauium Dextrum eruditum ſanè illum, & locupletem commentarium edidiſſe? an poterat præterire Epiſtolam, cuius in Flauio Dextro bis mentio diuerſis in locis haberetur, ad id ne precibus adactum importunis dicis? à quo? quaſi alioqui non ſcripſiſſet, quod neceſſariò faciendum erat, niſi importunis precibus adductus. Quid ais, Pirre?

Pergis. *Nimis ſupinæ tamen negligentiæ notam Biuarius haud effugiet; exiſtimat ille, quod & multis placuit, Deiparam in cælum migraſſe anno Chriſti quadrageſimo octauo; idque ex Dextri teſtimonio ſe credit elicere. Iam verò Dexter ad annum Chriſti ſexageſimum quartum D Paulum adijſſe Hiſpanias ait, quod tamen ceteri ad annum Chriſti ſexageſimum ſecundum referunt; biennium enim in vinculis fecerat à primo aduentu, non venit ergo in Italiam; atque adeò nec Siciliam attigit ante annum ſexageſimum primum, vel ſi minis quinquageſimum nonum Chriſti, cur ergo Biuarius eam Beatæ Virginis Epiſtolam laudat, atque oſcitanter admittit, in qua Deipara ante annum Chriſti quadrageſimum octauũ ſcripſiſſe dicitur, Pauli prædicatione, & doctrina mediante Meſſanenſes veritatis ſemitam agnouiſſe. fidemque Chriſti amplexos eſſe, cùm non niſi poſt decem, aut etiam duodecim annos à Deiparæ obitu, vt ipſe ſtatuit, primùm Siciliam viderit D. Paulus.*

Quid verò, ſi Biuarius ſupinam negligentiam, atq; oſcitantiam,

tantiam in te regerat, Pirre; nam ſi is exiſtimat decem, aut duodecim annis poſt obitum Virginis Siciliā primùm vidiſſe Paulum, iam nō quinquageſimo nono anno id primùm contigit, ſed aut quinquageſimo octauo, aut ſexageſimo, quod non Biuarius, ſed tu oſcitanter affirmas, niſi velis Biuarium Virginis obitum ſignare ante quadrageſimum octauum Chriſti annum, quod eſt viri conſtantis, & conſiderati ſenſum peruertere. Deinde, quid Biuario ad tuendam Virgininis Epiſtolam, cum aduentu Pauli, ſi ipſe nec annum ſignet Epiſtolæ datæ, nec Pauli prædicatione velit ita conuerſos Meſſanenſes, quaſi illum Meſſanæ primùm audierint, ac non ſatis fuerit, iuxta nonnullorum rationem, auditum à quibuſdam ſiue in Peloponneſo, ſiue alibi ex Paulo Euangelium Meſſanā deinde fuiſſe illatum, vt rectè dicatur, Pauli prædicatione, & doctrina mediante Meſſanenſes ſemitam veritatis agnouiſſe, fidemque Chriſti amplexos eſſe, etſi poſtea ſeriùs acceſſerit, & radice altiùs acta firmauerit. Hæc omnia potiùs debebas cogitare, Pirre, ſpectaſſe Biuarium, quàm viro docto, & eruditionis laude florenti tam inſubidè negligentiæ, & oſcitantiæ notam inurere.

§. XXXXIV.

O*Portuit porrò*, ais, *Biuarium Caſtellana lingua elegantiam in hac Hiſpana ſua Bibliotheca Epiſtolæ animaduertiſſe, vt antiquitatem non olere intelligeret.* Hic te facilè Biuarius negligentiæ iterum, & oſcitantiæ redarguat. Neque enim vnquam dixit Biuarius eam Hiſpanam verſionem antiquitatem olere carioſam, & ſatis diſertè reſpondit Inchofero ſaltem vetuſtiorem eſſe, quàm vt dolo irrepſiſſe videri poſsit, quæ ſanè vetuſtas nō eſt, vt origini linguæ Caſtellanæ, etiam recens excultæ anteferatur, & ſatis benè perſpectum habuit Caſtellanam linguam multis poſt eam Epiſtolam ſeculis cœpiſſe, vt qui hoc ipſum notaſſet, vbi D. Cæcilij Hi-

ſpanè ſcriptum laudauit, quaſi cœleſti dono conſecuti, vt ea lingua loqueretur, & ſcriberet, quæ in communem gentium vſum longè poſt pullulauit: vt inde ab Iſidoro vatis vocabulum ſit promeritus: quamuis nec Bernardo Aldriti, quem tu laudas, facilè credendum ſit, non antiquiorem fuiſſe linguam eo, quod ponit ætatis ſpatio, niſi fortaſſe de politiori elocutione intelligat. Adde in literis ad Inchoferum datis, non ex ea vetuſtate, ſed aliunde prorſus Epiſtolæ Virginalis conſtantiam Biuarium conſtanter affirmare. Nimis ergo procliuè dixeris, Pirre, Biuarium facilè, & libenti, vt videtur, animo eam Epiſtolam probantem, ſaltem deſidiæ, atque ſocordiæ reprehenſionem incurriſſe.

Sed eo etiam nomine non parum ſuſpectam dicis illam Biuarij Hiſpanam Epiſtolam, quod eas numerorum literas, anni ſcilicet, & diei notas prætermiſerit; Non id ea de cauſa factum putes, Pirre, ne ſcilicet procliue eſſet annorum calculis figmentum prodere, ſed quod eas, quemadmodum Inchofer, & ceteri non cum vulgo ſapientes ſuppoſititias errore exſcriptorum crederet; nam & hoc disertè perſcripſit ad Inchoferum; quamquam nihil inde offici veritati Epiſtolæ teſtaretur.

Quod verò tu dicis: *cùm autographum eius Epiſtolæ ſe habere iactarint Meſſanenſes, & Laſcaris, qui latinè vertit, anni, & diei notas ibi viderit, numquam credo, quis exſcripſiſſet, quin & notas etiam illas adhiberet ad calcem, pro literarum (vt ſit) tuenda fide.* In paucis plures errores cõmittis. Primò enim Meſſanenſes eius Epiſtolæ autographum ſe habere iactaſſe falſum eſt, & ſuperiùs oſtenſum, quàm implicatè in hoc affirmando te geſſeris. Deinde, qui Laſcarim Græcè vertiſſe obfirmatè ex ipſis Meſſanenſibus contendebas, nunc ais latinè vertiſſe. Tertiò, cùm dicis anni, & diei notas Laſcarim ibi vidiſſe, planè diuinas, & ex tuo genio loqueris. Quartò, cùm ais, numquam aliquem fuiſſe exſcripturum, quin etiam notas illas adhiberet; verum non eſt; multos enim vidi, qui eas neglexerint, qui verò exſcripſerunt, non tunc pro tuenda

da literarum fide; ſed vel vt reijcerent examinando, vel ſi vulgo viſas omitterent, non omnibus foret ſatisfactum: ceterum à falſo nemo fuit, qui fidem Epiſtolæ tueretur. Itaque attulerunt varij, ſed vt refellerent, in hoc laudandi, quòd difficultatem non diſſimularent, nec tamen à Traditione Epiſtolæ abducerentur. Attulit præcipuè Inchofer, ſed vnà etiam reiecit, niſi quod ad reuincendum quorundam *Siculorum* iactantiam, eas etiam datas, ita ingenioſè defendit, vt facilè credo non paucos puderet ſui argumenti.

§. XXXXV.

QVæ à ceteris Scriptoribus petuntur ſuffragia, parum fauere vis, *quia aliud eſt* Scriptores *harum literarum meminiſſe, aliud ſua athoritate fulcire*, primum facile das, alterum falſum eſſe contendis. *Qui tantùm meminerunt ad ſtabiliendam veritatem, afferri iure non poßunt, quia dum ſolum ad ſeſe eius* Epiſtolæ *famam perueniße dicunt, innuunt ſe nolle eius auctores fieri, nec ſibi in comperto eße veritatem, ſed fidem apud narratores relinquere.* Pateris, *neque* Epiſtolæ *mentionem fuiſſe iniecturos, ſi fictitiam credidißent, inde tamen non fit, eas perpenſis, qua par erat diligentia rationibus, quod certè neceßarium fuiſset, ſi ipſorum auctoritatem, fidem rei facere voluiſſent, veras eas literas credidiſse, ſed indicio ſolùm eſse poteſt, ipſos de veritate* Epiſtolæ *minimè ſollicitos in examen rem vocare noluiſse, vel quod extra inſtitutum eſset, vel quod lectorem religioſum ſeſe promouere poſse rebantur, ſi aliorum narrationem de his literis referrent, vel quod Traditione conſtanti antiquiſſima, & perpetua, quæ nullum certum auctorem habeat, uti Meſsanenſes iactant, eam confirmari crederent, quod tamen falſum eſse declarauimus. Atque hac reſponſione omnia Scriptorum teſtimonia, quæ collegit Inchofer, extorquemus.* Hæc ferè tua verba.

Agis id, Pirre, quod qui apud Hieroclem viſis hoſtibus,

proiectis armis, collectis duntaxat ſarcinis fugiens; ſpolijs hoſtium onuſtũ ſe venire iactabat, victoriæ teſtes clamans, & quos cecidiſſet, & quos ſuperſtites reliquiſſet, quos tamen ipſe numquam viderat.

Eſſe quoſdam authores, qui tantùm Epiſtolæ meminiſſent, Inchofer ipſe teſtatus ante te eſt: eſſe alios, qui propugnent, tu negas. Fallis, & falleris, vt mox conſtabit. Illos verò, rectè dicis, non credidiſſe fictitiam Epiſtolam, alioqui non iniecturos mentionem in ſuis argumentis, feciſſe etiam ad promouendam lectorum religionem, ſi ab alijs narrata referrent, & Traditione conſtanti nixam autumarent, quod tamen falſum eſſe te declaraſſe dicis, & in hoc te iactas, tanquam ſpolijs onuſtum, cùm nihil de Traditione attuleris, quod ad doctam coronam ſpectaret, & ſatis conſtat ex dictis nihil te profeciſſe.

Satis etiam hoc loco ſit illos non examinaſſe, quod certum acciperent, inde verò pietatem promoueri poſſe crederent, quod ſanè ij non faciunt, qui tricas, & difficultates mouent inutiles, in ſcirpo nodum quærentes, non veritatis indagandæ, ſed pietatis turbandæ animo. Et alioqui, ſi multa de diuerſis ad ſanctitatem religionum ſpectantibus, verſu tè examinentur, frigeſcent profectò multa Panormi, quæ tu certa alioqui exiſtimas.

Falſum præterea eſt, iſtos etiam, qui dũtaxat mentionem abſque alia probatione fecerunt, non ſufficere authoritatem ad ſtabiliendam Epiſtolæ fidem. Pij namque viri pietati ſtudentes, & religione quadam ad id faciendum moti, atque adeò ad pietatem promouendam, argumentum inde ſuis ſcriptionibus petentes, dubio procul magnam conciliant authoritatem, alioqui iacebunt multa, quæ Sancti Patres in ſuis dictis hiſtoricè acceperunt, non ſubtiliùs examinantes, an quæ accepiſſent vlla difficultate circumſcriberentur, & tamen ea ipſa hodie authoritatem habent. Innumera exempla refert Inchofer, quæ tu non expendiſti. Iacebunt præterea multorum Pontificum, ac Principum decre-

ta,

ta, & priuilegia, quæ narrationi aliorum nituntur, ſi horum narrationem in dubium reuocaueris; quid enim non poſsit verſutia, ſi malignum ſtudium comitetur?

Atque hac tua reſponſione omnium ſcriptorum teſtimonia, quæ Inchofer collegit, te extorquere iactas, vide, ne torquearis. Nominas in primis Martinum Nauarrum, Petrum Caniſium, Chriſtophorum Verruchinum, Ioannem Bonifacium Odeſcalcum, Laurentium Maſellum, Georgium Gualtherum. At Nauarro, vel vnius eruditi teſtimonium ſatis fuit ad fidem faciendam, quod, vt ait Inchofer, *Vir diſcretus, & experiens apprimè nouit, non eſſe tricandum in ijs, quæ ad omnium pietatem fouendam, ſed in primis ad ciuium religionem augendam, conſeruandamq; plurimum momenti afferunt, mentiri verò, vel viles, & nauci homelli nefas ducunt.* In eo præterea tibi Nauarrus impingit, Pirre, quòd ex eruditi cuiuſdam teſtimonio affirmet Conſtantinum Laſcarim, virum eruditione præſtantem tranſtuliſſe Epiſtolam è Græca in Latinam, iam ab alio ante ex Hebræa factam Græcam: quod tu tamen Conſtantino Laſcari tribuebas.

Petrus Caniſius. *Apud Siculos (inquit) extat inſignis Reſpublica Meſſanenſium, quæ aliã Epiſtolam* (dixerat paulò ante de Epiſtola ad Florentinos, quæ dicebatur data) *ab eadem Virgine prædicat, atque, vt audio, reuerenter in ſuis ſcrinijs aſſeruat.* Audi, Pirre, alterum abſolutè affirmat Caniſius alterum ex auditu, de Traditione ſcilicet nihil dubitans, de exemplari verò ſubambigens, vt de autographo, an apographo loquatur, perinde videri poſsit. Rectè verò notat Inchofer Virum tantum, *qui impoſturas omnes, ac Hæreticorum mendacia partes in omnes verſabat, numquam ſuis ſcriptis id inſerturum fuiſſe, ſi vel minima ſuſpicio falſi religioſum hominis animum ſubijſſet.* Tu ne hunc dixeris, Pirre, non rem perpendiſſe, ea, qua par erat, diligentia?

Chriſtophorus Verruchinus ex narratione quidem aliorum meminit huius Epiſtolæ, eam tamen aſſumit ad rei certæ probationem, quòd cùm omnibus adeundæ Hieroſoly-

mæ

mæ copia, quemadmodum Dionyſio, ad videndum Virginem non ſuppeteret, ea interdum per literas requireretur, & in vota flecteretur; nec eſſet, qui ſummè benignum reſponſum ab ea non ferret, quemadmodum nonnulli contigiſſe narrant Ioanni, Ignatio, Ciuitatibus Meſſanæ, Florentiæ, nec verò officit rationi, quod de literis ad Florentinos datis plerique alij dubitent, alioqui & de certitudine Epiſtolarum ad Ignatium datarum actum eſſet, cuius tamen fides teſtatior eſt, quàm vt dubium admittat, quod multis ex multis eruditè oſtendit Inchofer. Quid hic, Pirre?

Ioannes Bonifacius nihil quidem diſertè affirmat, pietati tamen conſulit, dum dicit. *Fieri etiam fortaſſe potuit, vt hoc tempore literas dederit.* Et paulò poſt; *quod mihi pro cetera Beatiſſima Matris facilitate, & humanitate, non magnoperè videtur eſſe admirandum*: denique addit; *fides ſit penes Hiſtoricos.* Atq; in his omnibus tibi maximè eſt contrarius, Pirre. Ille dicit fieri potuiſſe: tu negas fieri potuiſſe; Ille, non magnoperè videtur eſſe mirandum: tu penè obſtupeſcis. Ille fidem vult eſſe penes Hiſtoricos. Tu omnes Hiſtoricos exciſos cupis. Ille denique, hæc ad pietatem fouendam proficua putat: tu planè noxia, quàm diuerſus es ab illo, qui tamen nonnihil tibi fauere videbatur.

Odeſcalcus, quem tu Odelaſcum vocas (ita etiam nomina corrumpis) ſuppoſita fide Traditionis, non ſolùm piè meminit huius Epiſtolæ, ſed hinc ad pietatem Deiparæ, & ſingularem illam curam, qua non ſolùm vniuerſæ Eccleſiæ prodeſt, ſed præterea particulares quaſdam Eccleſias peculiari modo protegit egregium arceſsit argumentũ. Proinde nec temerè ſcripſit, nec alienum putauit hac qualicunque aſſertione robur huic opinioni addere, quod tu, ſi Inchoferum benè legiſti, animaduertere potuiſti.

Laurentius Maſellus poſt relatam à Mutio Iuſtinopolitano Hiſtoriam. *Nolo* (inquit) *ſyndicum huius agere deuotionis*, tu addis, *& id ſibi repudiandum non eſſe dicit, quia deuotionem excitat.* Rectè, ſed poteras eiuſdem verbis vti, multum

tum enim momenti addunt. *Nihil quod ædificat, charitatem auget, deuotionem excitat, & ſapienti, & deuoto pectore eſt repudiandum.* Quàm diuerſus es, Pirre, à Maſello, quem tibi patronum rogas. Ille ſyndicum huius deuotionis agere non vult. Tu perpetuo ſyndici, & accuſatoris munere fungeris; ille hanc Epiſtolam ædificare dicit, tu nihil ex ea ad pietatem proficis. Ille charitatem augere affirmat, tu, qui de ea ſcribunt, odia Ciuitatum fouere dicis. Ille deuotionem excitare: tu nihil inde religionem promoueri. Ille denique non eſſe à ſapienti, & deuoto pectore repudiandam; tu modis omnibus repudias. Vide ne non ſapiens, & indeuotum pectus geras.

Addit verò hic Inchofer pro Maſello. *Nec ſcio, quid apertiùs pro pietate dici queat, quid pro commendanda Meſsanenſium religione magis appoſitum, vt mirum ſit extitiſſe* (an tu ex illis es, Pirre) *qui ſtrangulata, quod dicitur, verba in contrariam formulam abripuerint, cùm ſi qua dubia mentis incidiſſet, obliqua ſuſpicio in meliorem* (*niſi ab iniquis animis*) *partem explicari debuiſſet. Verùm quia retractum ab alienis caſtris, quo nolentem, vi abripuerant aduerſarij, noſtro ſacramento militare multis alibi oſtendimus, quod hic peragendum ſit, reliqui nihil eſſe cogitamus.* Egerat nimirum de hoc eodem argumento Inchofer cap. xxv. pag. 134. vbi etiam perſtringit falſificatorem verborum Maſelli, & clarè oſtendit Maſellum ab Epiſtola Virginis ſtare. Eo te remitto, lector; nam Pirrus diſsimulat, quæ contra ſe faciunt.

§ XXXXVI.

GEorgius Gualtherus, licet Siciliæ Inſcriptiones Meſſanæ liberaliter hoſpitio exceptus ediderit, poſtquam neſcio quid ſimultatis cum Panormitanis nonnullis interceſſit, adduci tamen non potuit, niſi vt inter receniores Tabulas eam Virginis Epiſtolam inſereret, ac diceret, ſe nolle in grauiſſima re iudici-

um

um ferre. Hæc tu ais, Pirre? Sed quid, quæſo, ſimultatis ipſi interceſsit cum Panormitanis? an quia noluerunt hoſpitio excipere? id non crediderim in gente tam culta, & amica: an quia noluit placentia loqui, ne veritatem offenderet? prudenter diſsimulas, Pirre: mihi verò perſpecta eſt origo eius ſimultatis, taceo tamen, ne te vexem. Adduci tamen eum non potuiſſe, dicis, *niſi vt inter recentiores Tabulas eam Virginis Epiſtolam inſereret*? Vide quàm præceps es in loquendo. Ipſe vltrò cùm Panormi eſſet, ac etiam ibi Meſſanenſibus ſtuderet, ab Inchofero ſubmiſſè, & amicè petijt, ſcriberet, quæ ſibi de ea Epiſtola viderentur; ſibi enim pro tempore tantum otij nō eſſe, & quod eo loci eſſet, in quo ſuſpecta omnia, & inimica experiretur, & quod rei grauitas non tranſcurſim, ſed particularius, & pluribus alio opere eam hiſtoriam excutiendam ſuaderet.

Hoc ne eſt adduci eum non potuiſſe, cùm vltrò ipſe rogarit, & quæ ſcriberet meditatus fuerit. Afferā hic ex Inchofero, quæ tu diſsimulas.

Georgius Gualtherus nouus Antiquæ Siciliæ author, qui biennio ab hinc Melita redux, quo ſe operis Magno Ordinis Magiſtro dicandi gratia contulerat, infauſto Melitenſium cum Viticenſibus, vulgò Biſertinis Triremibus ad Syracuſas conflictu, ſibi, ſuiſque penè laboribus, & eruditiorum ſtudijs perniciem fecit, longiorè ſanè vita dignus. Is, inquam, cùm in Tabularijs ſuis monumentis huius quoque Epiſtolæ ſanctitatem extare vellet, multa ipſe ſecum, non pauciora cum alijs, mecum etiam nonnulla contulit, quod fortè in audiuiſset Meſsaneſium religioni me ſcripto velificari, tametſi eo tempore nondum concepiſſem, an ad ſcribendum animum appellere expediret, eòque præſertim cogitatione pendens in media (quod dicitur) agina hærerem, quod alium eſse non neſcirem, qui eius argumenti tractationem ſuſcepiſset, doctiori dubio procul Minerua excolendam. Sciſcitanti nihilominus, quid de veritate Virginalis Epi*ſtolæ mea menti ſediſset, reſpondi per epiſtolas non adeò ſanè meditatas*

ditatas

Digitized by Google

ditatas, quæ typis commendarentur ad plurium notitiam, ſed quæ viro erudito ſatis eſſent ad fontes, quod dicitur, indigitandos, quos ipſe in latiores amnes, ac fluuios Marte proprio explicaret, verùm ipſe ſua abſtinens ſententia, peregrinum proſtare voluit argumentum: vnum ex illis, in quo non minimi operis videbatur ineſſe argumentum, ſuæ inſertum lucubrationi, amicorum gratiæ condonauit. In ea verò cùm velut in reſtricto foro ſigna quædam extent rationum, ac reſponſionum, quæ in hac materia verſari poſſunt, & quaſi in ampliore mercatu proponi; placuit & hoc loco carceres defigere, à quibus ad eneruandum vim argumentorum, filum quodammodo rationum ducere-mus. Hæc Inchofer.

An tu ex his concludas Gualtherum vix adduci potuiſſe, vt ſcriberet, cùm interea manu Inchoferi contra omnes propugnaret, eòque ſuum iudicium non interponeret in re grauiſsima, quoad ditior otij foret: ſuum porrò iudicium exiſtimes fuiſſe ſcriptum Inchoferi; cuius honorificentiſsimo nomine præfixo eam Epiſtolam vulgauit, non editurus alioqui, vel certè ſententia aliqua ſua temperaturus, niſi idem ſenſiſſet, vt idcirco rectè deinde hæc alia ſcripſerit idem Inchofer.

Sed neque extra ſeriem habendus Georgius Gualtherus iam aliàs nominatus, qui licet alieno ore locutus ſuam non interpoſuerit ſententiam, hoc ipſo tamen arbitrium ſuum ad mentem aliorum effinxit, dum quid iſti de hoc inſtituto pronunciarent, ſuis ipſe Tabulis ex formula cenſeri voluit; ſententiam in laudatis auctorum nominibus dubio procul approbauit. Hæc ille.

§. XXXXVII.

Q*Vid ergo* (pergis) *tam audacter Scriptorum teſtimonia recenſentur, cùm nemo exterorum rem eſſe apud ſe certam dicat, ſed solùm ſe audiuiſſe enarrant.* Dicam ego, quid tu tam audacter obloqui audes? qui in pluribus verum falſ-

P las:

las : nam in primis paucos exteros hactenus citaſti? deinde iſti non dicunt ſe ſolùm audijſſe, ſed quæ legerunt, & audierunt ad probandum ſuæ pietatis inſtitutum adducunt; quibus tu temerè imponis, quando putas ex auditu ſolo illos rem magni momenti ex Epiſtola probare voluiſſe; ſcilicet, quomodo Gualtherus, quomodo Bonifacius, & Maſellus à tua ſtent parte, iam vidimus, & tamen tu illos tantùm audijſſe audacter dicis. Quàm multa verò tu in tuis Notitijs affers, quæ nec auditu vnquam accepiſti.

Tuam porrò reſponſionem approbet, vt tu putas, neceſſe eſt, qui aduerterit legationem Meſſanenſium ad Deiparam, quæ Literarum dicitur occaſio, inſtitui haud potuiſſe ante annum ſexageſimum primum, vel ſecundum, vt ex Inchofero oſtenditur: plurimos verò ex allatis Scriptoribus in ea eſſe ſententia conſtat, vt longè ante eum annum euectam ad Superos Deiparam velint. Ij ſunt Caniſius, Bonifacius, Spinellus, Thomas Tamaius in Flauium Dextrum, qui tamen hanc, te inuito, Epiſtolam probat, Biuarius ſupra allatus, & alij.

Ego verò eius ſum ſententiæ, vt qui tuam reſponſionem, & Inchoferi ſcripta non liuentibus oculis, & animo legat, te planè repudiet, & ad Inchoferum accedat: idem facturi dubio procul quos citas, ſi non ſola Traditione contenti, ſingula quæq; diſcernere ſtatuiſſent, mirum verò quòd cùm Deiparam ante ſexageſimum ſecundum annum defunctam cenſuerint, nihilominus à memoranda Epiſtola non ſe continuerint, vnde etiam illa tua poſitio nuper profligata, falſitatis arguitur, neminem vidiſſe eam Epiſtolam, qui vna characteres numerorum non legiſſet, aut accepiſſet: hi enim alio, atque alio anno Virginis extremum diem definientes, nihilominus & meminerunt Epiſtolæ, & eatenus loquuti de ea ſunt, vt eorum authoritas pro atteſtando locum habere queat.

Ceterùm ſi Inchoferi ſententiam de anno ſexageſimo ſecundo tot rationibus nixam legiſſent, dubio procul in eam

iuiſſent,

iuiſſent, & de ſtatuendo anno in diuerſum non abijſſent.

Miror tamen te Biuarium in tuas partes cogere, quaſi id tantùm retuliſſet, non ex animi ſententia probaſſet. Id ſanè inſtitutum commentatoris non patitur, & verba ipſa Biuarij, quibus hanc Epiſtolam aſſerit, te falſi redarguunt. Quibus addi poteſt ea, quam ad Inchoferum ſcripſit Epiſtola, in qua de quibuſdam ſubdubitanti conſtanter reſpondet de certitudine Epiſtolæ dubitandum nihil eſſe, plura etiam addit, quæ conſultò prætereo, ne in negantes acerbiorem hominis animum detegam.

Ridiculus etiam es, cùm Thomam Tamaium à te ſtare putas, & tamen eum hanc Epiſtolam probare dicas, vt in paucis in antilogiam abeas: Alios tantùm narrare, alios etiam probare, non equidem negarim. Plures ex authoribus ab Inchofero allatis, ſi omnia circa hanc Epiſtolam excuſsiſſent, alia longè ratione, quàm ſimplici narratione eam ſtabiliuiſſent; omninò tamen non negaſſent, præſertim ſi ea, quæ Inchofero conſiderationes, illis quoq; in mentem veniſſent. Inter quos facilè venerit Mutius Iuſtinopolitanus, cuius tamen authoritatem non ideò magnificis verbis, vt tu dicis, adducit Inchofer, quaſi aduerſus Hæreticorum errores ea Epiſtola vtatur ille auctor.

Sed quia, cùm non infimæ eſſet notæ apud omnes Hiſtoricus, & vt aduertit Alphonſus Villegas apud Italos in primis celebris, Summiſque Pontificibus, vel eo nomine carus, ac pretioſus in paucis, quòd modis omnibus vehementer, ſed ſcriptis præſertim Hæreticos acriter conuelleret, non quacunque & velut per tranſennam occaſione, ſed accerſita narratione illis ipſis temporibus maximè neceſſaria, Hæreticis etiam fidem facit, non ex Epiſtola, vt tu falsò impingis: ſed ex alijs ſcriptis, quibus tamen cùm inſereret hanc de Epiſtola narrationem, ſi rem opinione falſam laudaſſet, facilè profectò Virginis laudibus fucum feciſſet: lege diligentius Inchoferum, & corrige mentem, Pirre.

Idem tamen Mutius Iuſtinopolitanus tibi contrarius eſt,

qui non ex autogropho Hebræo, ſed Græco, cuiuſcunque ea verſio fuit, Laſcarim latinè vertiſſe ait. Quod verò numerorum notas inſertas voluerit, rectè notat, nihil diſſimulans Inchofer, tum ſi errorem putauit, ex eo tamen vetuſtæ Traditionis religionem vitiari non iudicaſſe.

§ XXXXVIII.

AFfers etiam aliquod Meſſanenſis Scriptoris teſtimonium, Franciſcum Maurolycũ videlicet, qui compendium Hiſtoriæ Siculæ ſcripſit ea occaſione, quod ei viſus ſit Fazellus Meſſanenſis Vrbis laudes præterijſſe in ſuis Decadibus; *at hic nihil eſt de hac Epiſtola afferre auſus, ne ſuam fidem in diſcrimen adduceret, ſed ſolum nonnullos eius meminiſſe ait his verbis.* [*Paulus Diuini verbi concionator à Feſto Præſide vinctus, Romam miſſus Syracuſas, Rhegium, atque Meſſenium fretum pernauigat.*] *Quis vnquam perſuadeat, Maurolycum non ſcripturum, ſaltem Meſſanam adijt; ſi res certa, & conſtanti Traditione ſtaret, ſubdit deinde.* [*Memorant & Paulum in Sicilia concionatum, quod abs re non eſt, quando non tota eius peregrinatio literis mandata eſt, quin & Meſſanam miſſis ad Deiparam legatis, receptoque ab ea Epiſtolio, abiectis Gentilium erroribus ſub eius tutelam veniſſe.*] Hic tu. *Ieiunus ipſe dicendi modus oſtendit ſapientem virum, qui cæteras Meſſanæ laudes accuratè perſequitur, Syrtes ſuæ exiſtimationi timuiſſe, ſi hæc afferret, & popularium inuidiam, ſi omninò præterijſſet. Ideo ergo ita narrat, vt re vera prætererit.*

Sed enim quid inſtituti fuerit Maurolyco, vt paucis meminerit, ſatis patet ex Inchofero. *Quod cùm breuitatem in omnibus ſuis lucubrationibus adamaſſet, & maximè in Hiſtoria compendio, quæ à Fazello prætérita ſunt, dicere propoſuiſſet, maluit paucis inſinuare in profana Hiſtoria, quàm pluribus narrare, quod pro inſtituto verbo dicendum erat, pro digni*

tate

Digitized by Google

tate tamen reſtringi nec poterat, nec debebat, ſed peculiarem ſibi operam, at opus depoſcebat. Quòd ipſe iam coronidis ſuorum laborum loco deſignatum, præſtitiſſet dubio procul, ſi cum ætate quamquã ingraueſcente modicum adhuc vitæ diem retardaſſet. Hæc Inchofer.

Addo ego id Inchofero diuinitus fuiſſe reſeruatũ, vt qui multis poſt annis tum nondum natus Maurolyco in *M*atheſi docenda ſucceſſit, ita & operi deſignato perficiendo ſufficeretur. *S*ed age, Pirre, verbo dixiſſe ſatis erat Maurolyco, de quo tunc nulla controuerſia erat, & in pacifica Traditionis poſſeſsione tutò ſedebat; neque tamen ita ieiunus eſt modus dicendi *M*aurolyci, vt intelligenti non vberem faciat fidem. *Memorant, inquit, & Paulum in Sicilia concionatum.* Id multi ex tuis negarunt, antequam Octauius Caietanus recentior probaſſet: at Maurolycus & Traditione, & ſcriptis dubio procul memorari cenſuerit.

Probat id non ab re eſſe, *quando non tota eius peregrinatio literis mandata eſt.* Quid hic dicis, Pirre? qui nuper Lucam minuta quæque ad iter Pauli ſpectantia comprehendiſſe affirmaſti. *Quin & Meſſanam (*pergit*) miſſis ad Deiparam legatis, receptoque ab ea Epiſtolio abiectis Gentilium erroribus ſub eius tutelam veniſſe.* Hæc confirmatio eſt prioris dicti, vt ex modo loquendi apparet, & ſubintelligitur, *hoc etiam memorari traditione, & ſcriptis, nec abs re eſſe,* quando non quicquid geſtum à Paulo eſt, Lucas memorarit: vel ſi Maurolycus Pauli non meminit, ſatis ratum habuit, & legationem obitam, & Epiſtolam receptam, quocunque tempore id acciderit, quod tunc examinare Maurolyco non vacabat. Ac vt prius dictum. *Paulum ſcilicet Diuini verbi concionatorem à Feſto Præſide vinctum, Romam miſſum, &c.* Ex ſcriptura habet *M*aurolycus, ita poſterius traditioni tribuit. An hæc tibi ieiunè dicta?

Ac profectò ſi valeret hoc tuum à *M*aurolyco argumentum, in multis malè religioni populorum conſuleretur; vt enim eidem exemplo inhæream. *A*ntequam Inchofer con-

Digitized by Google

trouerſiæ de Roſalia occaſionem dedit, quis de ea meminit Panormi natam eſſe, quis ex Caroli *Magni* progenie ortam, Fazellus certè præterijt, Falcandus antiquior nihil dixit, nihil Zurita, nihil alij, & tamen hoc tẽpore fama inclaruit. Quamquam & ipſa Diua in apparitione Biſbonæ nuper, vt dicitur, facta, vitam ſuam recenſens planè reticuerit.

§. XXXXIX.

L*Audari Ioannem Camerotam Bonenſem Præſulem in manu ſcripto opere, cuius tamen vix iuſtum folium vidit Inchofer*. Ita tu narras: non dicit Inchofer ſe non vidiſſe, ſed vix iuſtum folium ad ſuas perueniſſe manus. Ceteros autem nihil vidiſſe, tu more ſolito ex tuo genio falsò dicis, viderunt enim multi, licet poſtea iuſtum de hac re opus inter manus multorum deſideratum ſit.

In eo porrò vix iuſto folio, quod ad manus Inchoferi peruenit, tanta dicit pius, & doctus Præſul, quem meritò Inchofer, quanquam, vt fatetur, non ſatis laudat, quanta tu non facilè refutabis, ac in primis ab argumento beneficiorum Vrbi præſtitorum fidem Epiſtolæ commendat, deinde ne otioſus narrator videri queat, qui rem ab inconſtanti fama, vel etiam a vulgi credulitate hærentem pro concione decernat, Pauli ad Meſſanenſes acceſſum non vna ratione probat, ſilentium Lucæ ad conſilium reuocat, nec pauca, quæ Paulus geſsit, ab eo prætermiſſa pro explorato habet, teſteq; eius rei laudat Chryſoſtomũ, de quo vide Inchoferũ.

Ac demum miſsis vltrò, citroque argumentorum cum authoritate cõmiſſuris (vt Inchofer loquitur) ad Traditionẽ omnia deuoluit, qua ſola, ſi cetera deſint, quanquam & rationes pugnent, & teſtes acceptione maiores accedant, inconcuſſam ſtare velit Epiſtolæ veritatem. Quid ad hæc, Pirre, ſi de Meſſanenſibus agatur?

Pergis. *Afferri etiam Philipppũ Gothum, & Bonfilium: ij certè ha-*

tè harum Literarum veritatem affirmant, ſed & in ceteris, & in hac eadem narratione mentiuntur, in Chronologia ſaltem. Nimis facilis es ad conuitia, vt nemo lubens tecum certarit ingenio, & rationibus, niſi paratus ab intemperantia verborum. Ceterùm non diſcernis inter falſum, & mendacium: falli in Chronologia non eſt mentiri, ſed errare, nec illa tua correctio *ſaltem in Chronologia* excuſat culpam: ſed, & antilogium committis. Si enim in ceteris, & in hac eadem narratione mentiuntur, quomodo ſaltem in Chronologia? Id certè Philippus Gothus à te non merebatur; *qui* (vt Inchofer dicit) *rem narrat modo, ceu creditam, nec niſi Baronio ſat leuiter ſuſpectam, cùm nondum eſſent, qui pietatem diſceptationibus laceſſerent.* Et idem conuitium poteras iactare in Caniſium, Bonifacium, Maſellum, Mutium Iuſtinopolitanum, Biuarium, & reliquos à te hactenus adductos, & addere, mentiri eos ſaltem in narratione. Iam verò ſi harum Literarum veritatem affirmant Meſſanenſes, falsò tu ex Meſſanenſibus petis teſtimonium hoc loco, quaſi frigidè atteſtarentur.

Item alij adducuntur, qui eidem hærent opinioni, ad eãque defendendam manus admouerint, licet deinde retraxerint alij alijs de cauſis. Tangis ſcilicet Albertum Piccolum, Alexandrum Calamatum. Verùm hunc non defecit animus; ille verò ſatis tibi laboris mortuus quoque faceſsit, etſi non remordeat: & rectè Inchofer ait, id dici poſſe de Alberto Piccolo, quod de muſca in Laconis clypeo: hos ais refellunt, quæ attulimus, atque id quod ſcripſit Inchofer, *Meſſanenſes ſcilicet eſſe nationem Patriæ laudis appetentiſſimam.* Et illud *Poëtæ, qui amant, ſibi ſomnia fingunt.* Verùm primum illud, hoc eſt, quæ à te allata ſunt, quantum militent, hactenus vidimus. Secundum, quod Inchofer dicit, *in poſterum etiam curabunt Meſſanenſes, vt veræ gloriæ appetentiſsimi ſibi fieri iniuriam non concedant.* Tertium, quod tu addis, hactenus in te ſatis regeſtum; & eſt, qui in Notitijs te multum dormitaſſe oſtenſurus eſt, ſiue tandem ſomniaueris, ſiue ex mentha mente vagatus fueris

S. L.

Digitized by Google

§. L.

ANtequam à Scriptorum authoritate diſcedas, affers Baronium, Alphonſum à Caſtro, Ioannem Antonium Reitanum Siculum, in examen vocaſſe hanc Virginis Epiſtolam, eandemque reieciſſe, & plura quidem egregiè vrgere Reitanum aduerſus eam Epiſtolam, quæ tibi prætereunda eſſe dicis, ne demeſſa, quæ illic floret eruditione, aridum redderes eximium opuſculum (poteras etiam citare Franciſcum Baroni, cuius aureo opuſculo prodijt opuſculum Reitani) hinc ergo fieri dicis tuam quidem ſententiam Scriptorum etiam authoritate fulciri, eadem verò oppoſitam deſtitui.

Quot hinc occaſiones te verbis mulctandi, ſi tui ſimilis eſſe velim; Pirre. In primis enim Baronius expreſſè non meminit huius Meſſanenſis Epiſtolæ, & fortaſſe de Florentina loquutus ſit potiùs, quam de *M*eſſanenſi. Ceterùm ad ea, quibus implicitè videtur tangere rem noſtram. *Traduntur & aliæ ad alias ſcriptæ Ciuitates; que cunctæ cùm careant auctoritate, non niſi in apocryphorum claſſem reÿciendas eſſe, omnes facilè iudicabunt:* ad hæc inquam quàm doctè, & eruditè reſpondeat Inchofer, norunt, qui ſyncerè legerunt, cur tu ea diſſimulas? cur non reſpondes, non diluis, quæ ipſe Baronio reſpondet? nimirum vt palpum lectori vendas, nomine *B*aronij vis nuditatem tuam veſtire. Reſpondit porrò *I*nchofer egregiè, & inter alia ex ipſomet Baronio conciliauit Baronium. Reſpondit adhuc pluribus in noua editione, quòd alioqui tantum virum magnifaceret: quibus ego id duntaxat addo, Baronium non requirere quamcunque auctoritatem, ſed Eccleſiæ authoritatem, quemadmodum ex alia eius editione animaduertit Inchofer, apud quem tu plura vide, & reſponde fodes.

*A*lphonſum a Caſtro de hac Epiſtola tractare non memi-

ni. Crediderim te volui ſſe nominare Chriſtophorum à Caſtro, ita oſcitanter agis, egit quidem ille viribus omnibus contra hanc Epiſtolam, non vt pietatem offenderet, ſed vt veritatem inueniret, qua de cauſa occaſionem dedit Inchofero, vt pluribus ageret de ijs characterum notis ſubſcriptis, ex quibus maximè falſitatem vrget Caſtro, ſed verò cur diſsimulas quàm præclarè Caſtrum refellat Inchofer, per tria primùm ſat magna capita rationes eius deſtruendo, deinde verò per plurima de Indictione, alijſque notis, tum generatim, tum ſpeciatim diſcurrendo, ex quibus eruditi quique mirari queant tam auream reconditæ eruditionis ſupellectilem, cur ad ea non reſpondis? ne ſcilicet libri molem augeas.

Ioanni Antonio Reitano optarem ſuam ſtare laudem, niſi ille eam ſponte amoliretur, cùm multa, & falſa, & præter eruditionem dicat. Negat in primis Bacchylum primum potuiſſe eſſe Epiſcopum, tum ex variatione nominis, tum quia nullum ſimile nomen in Martyrologio Romano: quaſi verò non ſubinde variè varij fuiſſent appellati, & omnia demum nomina in Martyrologio contineantur: ipſe videlicet non legit alia Martyrologia. Deinde errat etiam in putando menſe, & diebus, quibus Melita Romam venit Paulus, & ex ignorata Traditione non rectè impugnat Epiſtolam. Tertiò errat, quòd dicat Meſſanenſium Traditionem de aduentu Pauli Meſſanam, omninò eſſe contrariam Diuinæ Scripturæ. Debebat legiſſe Octauium Caietanum, & ſaltem Inchoferum, qui nullam eſſe hoc loco difficultatē, clarè explicat, alioqui Sacrum Tribunal Sanctæ Inquiſitionis Hiſpanicæ dubio procul emendandum curaſſet, ſi iudicaſſet eſſe contra Scripturam, cur ſaltem non reſpondit ad argumenta Inchoferi?

Quartò errat, cùm dicit, B. Virginem anno Chriſti quadrageſimo nono defunctam, idque Baronio tribuit, vt oſcitanter legendo imponat viro clariſsimo. Inde verò arguendo contra annum ætatis B. Virginis ſeptuageſimum terti-

um, peius errat. Quintò errat contra Rheginorum Traditionem multis firmatam, quòd dicat, Paulum Rhegij non prædicaſſe: tenetur conſequenter dicere, nec illius primum Epiſcopum Stephanum Nicœnum inſtituiſſe, contra receptiſsimam, & multorum etiam ſcriptis firmatam Traditionem, adhuc verò negabit, ſed peſsimè, ardentis columnæ miraculum; id enim prædicanti Paulo lumen ſuffecit. In quibus omnibus probandis ſatis pueriliter verſatur, ac præcipuam rationem ex eo ducit, quia Lucas non meminit, quæ ratio, quàm nullius ſit momenti, quàmplurimis inter alios doctiſsimos viros oſtendit Inchofer, & ſanè puerile eſt argumentum.

Sextò errat, dicendo, neque Centurionem, neq; militem aliquem, quod certè ſciatur ex tot, tantiſque ab Apoſtolo patratis in itinere miraculis fidem Chriſtianam ſuſcepiſſe. Id manifeſtè eſt contra S. Ioannem Chryſoſtomum, vt videre poterat apud Inchoferum pag. 296. Hunc ne tu ſcriptorem Inchofero opponas? Verum ipſe eandem cantilenam occinit. Lucas non meminit; & tamen fatetur probabile eſſe, Paulum Syracuſis fuiſſe concionatum, ſeu potiùs cum Chriſtianis iam ante per Epiſcopos à Diuo Petro miſſos conuerſis collocutum: at de his Lucas nihil: ſcilicet timuit, ne offenderet in Octauium Caietanum, & in Syracuſanorum Traditionem.

Deniq; ne multa dicam, in pluribus antilogias committit, nec cum Actis Apoſtolorum cohærentia ponit, vt mittam ignoratione terminorum varia illum confundere, nihil vnquam ad ea, quæ Inchofer ponit, reſpondere, nihil denique ab eo dici, quod Inchofer non ſoluerit, extriuerit, iterumq; in noua editione, illius, opinor, errores notando reiecerit, contempſerit.

§. LI.

ADdis in fine tuæ Diſſertationis antequam ad ordinem inſtituti accedas quædam argumenta ab Inchofero afferri ab illata Virginis imagine, vt vocant, de Scalis, atque à Virginis patrocinio, & beneficijs in Meſſanenſes, quæ tamen, vt dicis Epiſtolæ veritatem iam labefactatam ſuſtinere non poſſunt, ſcilicet tu eam labefactaſti, ſed tua cum labe, vt vidimus.

Quæ affert etiam à feſti diei celebritate in Epiſtolæ honorem inſtituta, dicis non iuuare; *nam ea celebritas aucta eſt ante paucos annos, & in Virginis ſolum honorem feſtus erat octauus Septembris, ante id temporis (vt idem narrat Inchofer) ob beneficia Virginis in eam Vrbem*. Quàm præclare? nam quia ea celebritas aucta eſt ante paucos annos, non potuit cœpta eſſe ſupra memoriam hominum, an pro eodem ſumis auctum, & cœptum? Quin nuper, à quo Inchofer ſuum edidit librum, augeri cœpit magis, ergo nec tunc cœpit ò bellum hominum.

Porrò nec verum eſt, vt tu imponis, Inchoferum dicere, in Virginis ſolùm honorem feſtum fuiſſe octauum Septembris, ob beneficia ſcilicet Virginis in eam Vrbem. In primis enim eo loco Inchofer beneficiorum Virginis in eam Vrbem non meminit, deinde expreſſè ait, viguiſſe, celebritatem Epiſtolæ diu in æde aſſumptæ Virgini ſacra (nempe Cathedrali) non alio tamen die, quàm Natali Virginis ab Eccleſia ſacro, retenta videlicet priſcæ conſuetudinis veneratione, quæ illam in hunc diem, pridem ante in Pauliano monumento defixerat, illo nimirum Templo, quod multis retro ſeculis pro re nata nomini Pauli extra muros ab exſcenſu (quod ibi exſcendiſſe traditione memorant) nuncupatum dicarunt Meſſanenſes, eodemq; Epiſtolæ Virginis honores concluſerant, vbi tamen pro tempore non ea ſolemni-

lemnitate, quæ par eſſet peragere conſueuerant Meſſanenſes, Romano nempe regno exerciti, donec melioribus temporibus in Templum aſſumptæ Virginis ſumptuoſè extructum eandem quoque feſtam Epiſtolæ ſollemnitatem tranſtuliſſent, vbi ob paulò ante dictam cauſam diu viguit ea celebritas, donec ex ijs rationibus, quas Inchofer multis narrat, religioni ſuæ ciues, tertium nonas Iunij addixiſſent, fortaſſe etiam, ne ſolemnitas Virginei natalis exhauſta populi deuotione, eam quoque memoriam, quæ peculiarem celebritatem meritò vendicabat paulatim abſorberet. Hæc ferè ex Inchofero deprompta, cur tu corrumpis? cur falsò allegas? cur fidem tuam ludis?

Addit etiam ille (Inchofer) *ad hanc Epiſtolæ veritatem facere Indulgentiarum priuilegia à Pontificibus conceſſa*, ſed cū ea ſuis locis, & annis repoſiturus es, oſtendes fruſtra afferri: opperiar te ego in loco. Vide vt verum dixeris.

Poſtremò compellas lectorem, vt iudicet, an nimium ſit prolapſus Inchofer, *cùm eos, qui hanc Epiſtolā veritatem pernegant, ſeu (vt ipſe loquitur) calumniatur* [calumniantur, opinor, ſcripſiſti] *eſſe Hæreticis peruicaciores, & cùm eorundem opinionem temerariam vocitet.*

Compello & ego lectorem, vt videat, an tu verum dicas, & non more ſolito fallas. Inchoferi verba eo loco, quem tu citas, afferam. Is cum de Mutio Iuſtinopolitano dixiſſet, multa eum contra Hæreticos ſcripſiſſe, eoſque acriter conuelliſſe, addidit, non paſſuros fuiſſe Hæreticos, quin hominem perſtrinxiſſent, ſi Virginis laudibus fucum feciſſet, & quod ipſe literis tradidiſſet, minimè verum credidiſſet; hæc inquam eius ſunt verba. *Erupiſſent ſanè ex ſexcentis latebris infanda Hæreticorum capita, & qui nullum penè apicem in ſcriptis orthodoxorum intactum prætermittunt, hoc loco planè arcem tenuiſſent, vnde etiam cetera de Virgine hæreſum domitrice diuulgata, calumnijs obnoxia redderent. Id cùm ipſi minimè fecerint, ceteris etiam occaſionem calumniandi, niſi peruicaciores ſint, eripuerint.*

Digitized by Google

Vbi hic temerariam eſſe eorum opinionẽ? vbi hæreticis peruicaciores eſſe,qui hanc Epiſtolæ veritatem pernegant? aut ex tuo fingis, aut latinè non intelligis, peruicaciores putat Inchofer hæreticis eos, qui quod de laudibus Virginis hæreſum domitricis afferuntur,calumniantur, cùm ipſi Hæretici id intactum ſinant. Hoc tu ad Epiſtolam trahis? eſto: ergo prolapſus eſt Inchofer,cum calumniatores Epiſtolæ eſt inſectatus? an cui bono offecit? vide cùm tu calumniatores defendas, ne te calumniatorem prodas. Nam Inchofer non putat calumniatores, qui modeſtè, & cum ratione incedunt ad indagandam, & propalandam veritatem: ſi tu hoc præſtas, calumniator non es, imò paulò poſt deprecaris, & quæ dixiſti bono conſilio factum cupis: ſi verò id minus præſtas, non ego te id propter calumniatorem vocauero, ſed alio quouis nomine liberaliori compellabo. Calumnia, ſi noſti, eſt falſa, & malitioſa criminis impoſitio, vnde verò Diabolus, niſi vnde calumniator,vide an qui calumniatur,non peruicacior ſit Hæreticis, ſed Diabolus.

Denique concludis. *Si quis vnquam, quod ſanè optarẽ, harum literarum veritatem certis argumentis, atque indicijs aſſereret,ſciat me lubenti animo ſpongiam inducturum ijs,quæ ſcripſi; illa enim eo conſilio attuli, vt oſtenderem, quæ hactenus pro hac Epiſtola defendenda proponuntur, haud ſatis eſſe ad emolliendas difficultates.*

Bono animo eſto, paulatim illuminaberis, crede tamen argumenta hactenus allata ab Inchofero ſatis habere momenti apud animum benè conſtitutum, ac ſaltem apud te pondus habere debent, cùm ea, quantumuis conatus ſis, minimè ſolueris, plurima, & difficiliora prætermiſeris, diſſimularis, nil miror; erant enim multa, & efficacia, quæ ſuperarent, tu verò libri molem augendam non duxiſti, imò vt alicubi fateris, non tui eſſe muneris ea cenſere confeſſus es. Nihilominus laudo conſilium, macte animi, interea dũ meliora affulgeant, lege æquo animo diligenter Inchoferum, & intelliges, ſed niſi credideris,non intelliges.

§. LII.

§. LII.

VErùm antequam te ad alia abire patiar, morabor adhuc aliquantulum in authoribus recenſendis pro hac Epiſtola; tu enim eos duntaxat laudaſti, quos narrare tantum, & non probare putaſti, vt inde adſtrueres nō eos poſſe citari pro Epiſtolæ fide ſtabilienda: quanquam & in hoc adſtruendo, vt vidimus, defeciſti, ceteros autem, & plures apud Inchoferum ingenioſè præteriuiſti.

Ac vt mittam Biuarium, de quo iam ſæpè, mittam etiam Piccolum, qui ſat multa, cùm de cetero pro prærogatiuis Meſſanæ planè, vt Achilles, & multis decertaſſet, is tamen tum alijs intentus, quemadmodum Maurolycus, nondum caleſcente pugna, hanc ſpartam ad tempus intermiſit, reſumpturus olim, niſi mors immatura interceſsiſſet: nimirū vir cælo dignus, poſtquam Patriæ ſatisfeciſſet, omnibus tamen hic eruditis, & bonis lugendus. Afferam tamen, quæ ipſe neruosè dixit, vt ſcias, Pirre, Meſſanenſes multa dixiſſe, quæ tu ſoluere non potueris.

Sed iam hic ſtylum comprimo, vnam illam modò Prærogatiuam addiderim, quam ſi tacitus prætercam, non dubiam præuaricationis accuſationem meritiſſimè incurrero. Etenim Meſſanenſis Eccleſia, nedum tot his, quot hactenus prædicaui, titulis iuſtiſſimam Primatus ſui cauſam tuetur, ac ſi peræquum liceat Iudicem, obtinet, ſed illo etiam perinſigni priuilegio vendicat, quod eam Deipara Mater, ac Virgo, cùm in humanis eſſet, in ſuam veluti fidem receperit, qua ſanè Auguſtiſsimæ Virginis clientela, quòd noſtri maius optare, quid præclariùs votis concipere, aut ad memoriam poſteritatis illuſtriùs expetere potuiſſent? hoc enim vno beneficio, quicquid claritudinis, commodiuè contingere humanitùs poteſt, vno veluti cumulo noſtræ Ciuitati acceſsiſſe ſenſerim. Perſtrepant licet Mamertinæ felicitatis hoſtes, rumpantur inuidia, & pulcherrimam laudem extorquere

ſummis

ſummis opibus contendant: tantum enim abeſt, vt conſcriptis eorum libellis datis ad populum edictis, hiſtoriæ tenebras offundant, vt imò Mutios excitaſse mihi videantur, Caniſios, Villegas, Spinellos, Veruchinos, Maſellos, nunc verò etiam ex laudatiſſimæ Fuldenſis Abbatiæ Bibliothecæ latebris vetuſtiſſimum æquè, ac probatiſſimum Scriptorem eruiſſe L. Flauium Dextrum, qui huius Epiſtolæ fidem non vulgaribus teſtimonijs confirment, quin ipſam quoque ſanctiſſimam Virginem officij ſui monere, & tanquam ex ſyngrapha cum ea agere, vt ſuſcepti patrocinij narrationem miraculis, prodigijs, re demum ipſa commonſtret, neque enim ſemel, tum ob annonæ caritatem, tum ob perpetuas, & *externi, & domeſtici hoſtis inſidias de Meſſanenſium ſalute eſset conclamatum, ni ſi Patronæ Virginis præſens auxilium, præſentiſsimum numen afflictis rebus, ac penè labantibus opem attuliſset.* Sed hæc de Alberto Piccolo.

Cur ſiluiſti Syluestrum Maurolycum, Præconium Archiepiſcopum Panormitanum? Antonium Viperanum, Archangelum Ruſſum? cur illuſtre teſtimonium Ioannis Caprij inſignis Hieroſolymitani Ordinis Sacerdotis, viri non minus religione, quàm opinione præſtantis, ac probati? Vidiſſe ſe nimirum apud Alphonſum Paleottum Cardinalem, & Bononiæ Præſulem, exemplar huius Epiſtolæ membrana exaratum, ac vt videbatur, ea vetuſtate conflictatum, quæ propemodum quina ſecula numeraret, ac plura, quæ de eo refert Inchofer. Tu Caprium fortaſſe mentitum dicis; nimis procliuè ſi id facias? at Meſſanenſem dices patriæ laudis appetentiſsimum. Prouocemus ad exteros, cur Gaſparum Sghemmam Ordinis S. Franciſci Panormitanum, virum doctum, & virtute præditum? cur Cornelium Muſſum Bitundi Epiſcopum, Caroli Quinti Eccleſiaſten? cur Ludouicum Alberitium in eo genere hodie coriphœum, & recentiorē prætermittis? Vrgeo te nimis, Pirre.

Adhuc verò vbi reliquiſti Felicem Aſtolphū, Ferreolum Locrium, Io. Paulum Ferellum, Io. Baptiſtam Laurum, Ioannem Magnauaccam? *At ex his aliqui fidem non interponunt,*

nunt, alij pietati donant. Ex tuo fingis: ſit ita, attamen vt ve-rum accipiunt, ad argumenta ſua vertunt.

Quid dices de Franciſco Coſtero? quid de Franciſco A-rias viris religioſiſsimis vnà ac doctiſsimis? nonne hic dum eximiam Dei Genitricis charitatem in præſentes, abſentes commendat, id inter alia maximè probat ex Epiſtolis ad Ignatium, & Meſſanenſes datis, & hanc Traditione maximè roboratam laudat?

Vis adhuc plures? plures tibi in noua editione adducit Inchofer, inter quos Vincentium Ferrarottum, Nicolaum Antonium Coloſſum, Hieronymum Trimarchidem, Ioannem Baptiſtam Corteſium, Placidum Reinam, Benedictum Saluago; at hos Meſſanenſes dices, aut Meſſanenſibus addictos non fusè probare, ſed paucis memorare: probant tamen, ecquid neceſſe erat pluribus?

Vis Antonium Balinghem è Societate Ieſu, quem Inchofer in calce Operis notauit; at hic etiam paucis. Afferam Io. Baptiſtam Boriolum Mediolanenſem, is ſanè copioſè hanc hiſtoriam narrat, & probat, & dignum eum cenſuit Inchofer, quem in noua ſerie produceret: at hunc tu non vidiſti.

Noſtin, credo, Blaſium Gundiſaluum à Ribero inter cetera meritorum ornamenta S. Officij Conſultorem, & Regalibus in Conſilijs aduocatum, nonne is nuper dato pro Meſſanenſibus ad Philippum IV. libro, hanc Epiſtolæ Virginalis prærogatiuam ex compluribus auitæ virtutis ſignis, & rectè factorum in re Principum titulis, in præcipuam partem duxit, quaſi merita inde precepturus apud Regem illis, quos Regina Cæli tanto honore dignata fuiſſe crederetur.

Sed non ipſe ſuam duntaxat in propugnando ſententiam ſcribit, verùm etiam præter multos recenſitos licentiatum Rodericum, & Carum ad album vocat, noſtriſque votis nō numero minus, quàm genere probatis teſtibus ſuffragatur. Sed hi Hiſpani ſunt, & in noua Inchoferi editione habētur.

Redea-

Redeamus ad antiquam, cur miſiſti Fräciſc um Faſanum, qui pro huius Epiſtolæ fide pugnat, à virorum grauium authoritate, à Traditione, denique à iugi Deiparæ protectione, ſibi quoque in difficillimis temporibus, quibus Meſſanæ aderat explorata, eatenus confirmat, vt apud rectè opinantes nihil dubij reliquum eſſe velit. Quid ad hæc, Pirre? nullum eſſe authorem dicis, qui hanc Epiſtolam probet? ſed eſſe tantùm quoſdam, qui narrata ab alijs referant?

Quid de Ioanne Maria Tarſia dicis, qui Iuſtinopolitano in hoc quoque contra te aſſentitur, quòd latinam verſionem tantùm Laſcari tribuat, græcam cui tribuat, non appellat.

Quid præterea de Ioanne Carthagena quem tu valdè artificiosè præteris? nonne hic Theologus ætate noſtra eximius, de induſtria diſſerit, ac fidem huius Epiſtolæ multis probat, Baronio etiam vel obſcurè contra ſentienti reſpondet, & poſt multa ſubdit, *ſe non videre cur humana fides adhiberi non debeat.* Laudat antiquiſsimam, & immemorabilem celebris Vrbis Traditionem, denique ait. *Non videtur veriſimile rem eſſe confictam*, refertque pro eadem re nonnullos. Quid ad hæc, Pirre?

Cur & Thomam Tamaium tam leui calamo tangis, vt præterijſſe videaris. Laudatur à Blaſio Gundiſaluo, nec immeritò: pro Epiſtola verò Virginis ſingulari Marte decertat, vt hac ſemel aſſerta putatam ab alijs nouitatem, antiquitate ſuæ religionis conueſtiat. Ducit verò inter alia militare argumentum ab Epiſtolis Virginis ad alios ſcriptis, ab auctoritate Caniſij, denique à limatis ſapientum iudicio rationibus, & coniecturis, quibus etiam frequens depugnat Inchofer. Plura quæ de hoc authore narrat Inchofer, ne quæſo prætereas, vt ſoles.

Satis ne hactenus auctorum: verùm ego alios quoque, Inchofero fortaſſe non viſos, in gratiam tuæ fidei adducam, & quidem ex exteris Sylueſtrum Frangipanium, virum multa pietate conſpicuum, qui in ſuis D. Dominici de Soriano miraculorum collectaneis, ea nimirum ratione ducit Ma-

R mentis

mertinam inter Vrbes primariam, Diui Patriarchæ protectionem experiri, frequentioribus in dies perceptis gratijs, quia nimirum oportebat Dominicum maximè pium Mariæ ſeruum peculiari quodam affectu eam Vrbem proſequi, quã glorioſa Virgo Maria ſingulari munitam fouebat protectione, vt fidele exiſtat teſtimonium Epiſtolæ à Virgine ad Meſſanenſes exaratæ: & hæc ferè Frangipanius.

Accedit ex noſtratibus perdoctus, & literatis ſat notus Scipio Enricus, qui heroico carmine, quo magis Meſſanenſium pietas augeretur, eleganter ſanè huius Epiſtolæ cecinit argumentum, ac in ſuis ad Senatum datis literis concinnè oſtendit tres Orbis Metropoles, Hieroſolymam ſcilicet, veterem, nouamque Romam ingentibus priuilegijs Meſſanam Vrbem decoraſſe.

Nec ſilebo præclariſsimum illud noſtri temporis Iuris Iubar, iam percepiſti Iurbam, qui aureum ſuarum fœudalium interpretationum volumen ſacro Virginalis Epiſtolæ diademate coronauit.

Poſtremò venit Abbas Vincentius Riccius, Theologus eximius, qui paucis, ſed neruosè pro Virginali Epiſtola contendit, in ſuo mox edendo libro de reuerentia, quæ ſacroſanctis debetur Eccleſijs.

Mitto elegantiſsimas clariſsimorum virorum orationes habitas Sabbatinis ferijs, vel ſolemni Epiſtolæ feſto in æde Cathedrali, aut Paulino Cœnobio, vel in ceteris Mariæ Templis, vbi annua hæc celebritas eximio cultu à maiorũ memoria recolitur. Multi ex ijs ſermonibus hodie præ manibus omnium terũtur, multi Meſſanenſium in curia deſiderantur.

Concludam, ne te diutius macerem, vno adhuc addito è Societate Ieſu Theologo, vt qui recentiſsimè anno ſuperiori prodijt. Is eſt Thomas Maſſutius, qui in ſuo Paulo Apoſtolo, cuius vitam inſigni volumine conſcripſit, lib. 13. cap. 8. hæc habet. *Poſt aliquot igitur dierum iter ingreſſus mare Siculum*

Siculum, Meſſanam peruenit; nam ad hanc Ciuitatem aliquan do Apoſtolum veniſſe firma Traditio eſt Meſſanenſium, eique Epiſcopum Bacchylum dicunt præfeciſſe, quem corrupto vocabulo Barchirum ibi vulgus appellat, ſed & annis ſingulis ex antiqua conſuetudine in die feſto Conuerſionis *S. Pauli habentur Meſſanæ ſolemnes ſupplicationes in memoriam Bacchyli Epiſcopi ab Apoſtolo Paulo Eccleſiæ Meſſanenſi relicti; quo etiam tempore Apoſtoli Reliquiæ per Vrbem ſacra pompa circumferuntur. Quando autem hæc Pauli nauigatio in Siciliam contigerit, aliqui ambigunt: ſunt qui eam malè cum prima confundunt, quando poſt naufragium circa Inſulam Melitam Paulus vinctus appulit Syracuſam, & inde venit Rhegium: alij ad alia priora tempora rem transferunt, multò remotiora, eoque magis à vero aliena. Tamen quia de Baccbylo Meſſanenſi Eccleſia à Paulo in Epiſcopum conſtituto (vt dicebamus) habet illius Eccleſiæ firma Traditio, neque ſolùm traditione, ſed etiam graui teſtimonio S. Io.* Chryſoſtomi *creditur Paulus Inſulam Siciliæ peragraſſe, id autem fieri non potuit, antequam ex Iudæa diſceſſiſſet, & vinctus Romam perduceretur, & Romam, vt ipſe optabat, tunc primùm videret: neque ſtatim poſtquam à primis vinculis eſt liberatus; tunc enim, vt oſtendimus, iter ſuſcepit in Hiſpaniam, reliquum eſt, vt Orientis Eccleſias his vltimis annis reuiſere voluerit. Vnde mirum non eſt, ſi per idem mare Siculum per nota ſibi littora eadem, qua per tot annos venerat via nauigationem ſuam direxerit in Italiam.* Hæc ille.

In quibus etſi non fiat expreſſa Epiſtolæ Virginis mentio, quàm tamen aptè ſedeat ea traditio, cum itineribus Pauli, & aduentu Meſſanam, facilè quiuis intelliget. Neq; ſolùm, ſed tu diſces præterea viris doctis placere coniecturam, & rationes Inchoferi, Paulum ſæpiùs Meſſanæ adeſſe potuiſſe, quod tu aliquando probari non poſſe iactabas: quamquam enim Inchofer velit eo tempore inſtitutum Bacchylum, quo primùm Paulus Romam per fretum nauigauit; non tamen negauit alio quoque tempore potuiſſe adeſſe Paulum, imò multis probauit. At ſi poſtea Hiſpanias,

& Siciliam vidit, imò poſt viſum ipſum Orientem ſecundò Hiſpanias: eoque tempore commodam legationem Meſſanenſium duxit, vel ſaltem reduxit, ne tu facilè intelliges ſeptuaginta ſex annos pauciores eſſe ætatis Virgineæ, quàm vt ſint pares.

§. LIII.

IAm in Eleutherio ſuggillas Inchoferum. Hunc alij ſecundum à Bacchylo ponunt Meſſanenſem Epiſcopum, freti Martyrologio Romano, vbi Meſſanæ memoria Eleutherij celebrari dicitur quarto Kalendas Maij. Varia fuit inter doctos dubitatio, an Meſſana, an Meſſenia, Miſenum in Campania, aut Meſſapia in Apulia intelligenda ſit potiùs, doctis viris in diuerſum abeuntibus, ſed omnium iudicio nemo magis eruditè rem tractauit Inchofero, qui expenſis omnium ſententijs ea attulit in medium, vnde hiſtoria ſacra plurimùm illuſtrari queat.

Is verò in primis quanquam nihil certi ſtatueret, rationibus, & coniecturis propemodum ad verum egit, vt eundem diceret eſſe Bacchylum, & Eleutherium, eundemque Primum Epiſcopum, quæ ſententia ſi ſtaret, nonnihil certius Meſſanenſibus de ſuo Bacchylo affulgeret, ſin minus, nihil tamen detractum foret.

Eum porrò, tu facilè de omnibus enuncians ita ſuggillas, vt dicas erraſſe: quicquid verò ille multis adſtruit ad ſuam coniecturam ſtabiliendam, tu ad hanc conſecutionem magno, ſi Dijs placet, ingenio reducis. *Bacchylus fuit Diui Pauli diſcipulus, & Meſſanenſis Antiſtes. Eleutherius fuit item Diui Pauli diſcipulus, eiuſdemque Ciuitatis Antiſtes: idem ergo eſt Eleutherius, & Bacchylus, quanquam diuerſa nomina hominum diuerſitatem ſuadere videantur.* Quæ conſequutio dubio procul nutat, ſed non ex Inchoferiano ducta ingenio, & alioqui tu concludas non iam ouum ouo ſimile, ſed

cùm

cùm vtrumq; album ſit, eademq; gallina excluſū, planè idē eſſe. Mitto plura abſurda, quæ ex hac tua dialectica conſeſequuntur. Quin etiam paralogizas, Pirre: cùm enim cetera admittis,quæ Inchofer pro re ſua ponit, non debebas ad hanc abſonam,& ridiculam conſecutionem deducere ea omnia, quibus ipſe conijcit, vnum, eundemque fuiſſe Bacchylum cum Eleutherio. Sed videamus, quàm bellè diſcurras ex ijs, quæ ab Inchofero mutuaris: ſub Adriano martyrium fecit Eleutherius, poſt annum ſcilicet centeſimum, & vigeſimum (non poſt annum centeſimum, & vigeſimum, ſed centum, & viginti à Chriſti naſcentis annis, aut centeſimo, & vigeſimo debebas dicere) Paulus verò ſexageſimo ſecundo Chriſti anno Meſſanam ad verā religionem traduxiſſe memoratur, potuit ergo Bacchylum Eleutherius in Meſſanenſi Præſulatu ſequi,niſi aliud obſiſtat, quamuis ambo Diui Pauli diſcipuli fuerint.

Quid hinc concludis? neque id negat Inchofer, ſi qui alium velit eſſe Eleutherium à Bacchylo, etſi inde ſequatur quinquageſimo octauo, & amplius anno, ab inſtitutione Bacchyli fuiſſe ſecutum Eleutherium, atque adeò grandæuum; neque enim id implicat: ſed num tu hac coniectura tantum incidente, nec probata,elidis coniecturam Inchoferi, multis rationibus nixam?

In ijs ergo (ais) *quæ primò ſtatuit Inchofer, diutius eſſet immorandum.* (credo) *Sed quæ de Bacchylo narrat, iam recitauimus,* (vbi quæſo?) *& Eleutherium Meſſanæ Præſulem non fuiſſe oſtendimus.* (quibus rationibus?) *Primò, quia teſte Baronio in ſecunda editione Martyrologij, nemo eſt authorum omnium, qui Eleutherium, & matrem eius Anthiam ad Siciliæ Meſſanam pertinere voluerit. Secundò, quia nulla eius mentio ſit in Meſſanenſis Siculæ Eccleſiæ Tabulis: & alioqui Franciſcus Maurolycus Meſſanenſis in ſuo Martyrologio non omiſiſſet, nec poſuiſſet* [*Apud Miſenum* Campaniæ *SS. Eleutherij Epiſcopi, & Anthiæ matris eius*] *proinde ne ſuſpicatus quidem eſt eum ad Meſſanam Siculam ſuam patriam ſpectare,*

quamuis

quamuis præter Eccleſiæ Meſſanenſis Martyrologium, pluribus alijs, & quidem vetuſtiſſimis ſit vſus. Tertiò, quia Baronius ex Beda, Vſuardo, Adone ſtatuit paſſum in Apulia. Quartò, quia Albertus Piccolus, qui Eleutherium in Martyrum Meſſanenſium numero poſuit, nihil attulit, quod vel ad rem ſuaderet, vel Baronij Notis, alijſque Scriptis reſponderet. Quintò, quia non eſt credendum Bonfilio, qui in ſuis Hiſtorijs ſæpè turpiter, & audacter errat, etſi in alijs erraſſet nunquam, hic ſanè turpiſſimè, quòd dixerit, Eleutherium Meſſanæ paſſum anno centeſimo, & quarto, cùm Adrianus ſub finem anni centeſimi decimi noni Imperij faſtigium aſſecutus ſit.

Hæ ſcilicet ſunt rationes, quibus oſtendiſti Eleutherium nequaquam ad *M*eſſanam pertinere. Sed cur diſsimulas Inchoferum, ex quo tu hæc eadem ſubtraxiſti, eruditè hæc omnia, & plura etiam excuſsiſſe, ad ſingula quàm optimè reſpondiſſe: cùm tu interea tantùm ſumma quædam, & lippis etiam eminentia obliquè deradere conatus ſis.

§. LIV.

ITaque, vt docearis, hæc habe. In primis falſum eſſe, quod Baronium dixiſſe vis, neminem authorum eſſe, qui Eleutherium, & matrem Anthiam ad *M*eſſanam Siciliæ ſpectare voluerit; nam Baronius expreſſè dicit. *Qui Meſſanæ legentes intelligi putauerunt de Meſſana nobili in Sicilia Ciuitate*, quos tamen ipſe hallucinatos putat. Ergo fuerunt Baronio, qui Meſſanam Siculam intelligerent, & conſequenter tu Baronio imponis. Nullam fieri mentionem in Eccleſiæ Siculæ Tabulis, ſi de antiquioribus intelligas, nihil morabor, quis enim neſcit? idque non ſemel Inchofer adſtruit varijs occaſionibus periiſſe præclara quæque Eccleſiæ Meſſanenſis monumenta (hinc tu in tuis Notitijs plura queas dicere pro libidine) ſi de recentioribus: hallucinaris; nam & ordo Meſſanẽſis Eleutherium habet, & ſat antiquus vſus

cele-

celebrandi de eo officij id commendat. Maurolycus ijs Martyrologijs vſus eſt, quæ eodem periculo variarunt. Antiquiora ſanè exemplaria Maurolyci Meſſanam habent, licet in Apulia ſitam, in quo, ſicut in alijs, errarunt. Ita habet exemplar Venetum apud Hieronymum Caualcalupum anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto editum, ita alterum antiquius ad ſignum ſpei, ibidem editum anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono.

Non ergo mirum, ſi ad ſuam patriam trahere noluerit Eleutherium, de quo tam variè ſentirent alij, cùm præſertim & Martyrologia, quibus vſus eſt, errorem continerent, & pro Eleutherio, & Anthia, Eleucium præsbyterum, & Aneſam matrem eius nominarent, ſatius putauit Maurolycus authorum fidei rem relinquere, quàm pluribus in re difficili tricare. At inquis recẽtiora exemplaria Maurolyci legunt apud Miſenum in Campania: verum eſt, ſed rectè notat Baronius. Qui recenter addiderunt *Miſeni in Campania id abſque authoritate feciſſe, ea coniectura, quod nimirum Miſenum in Campania ſitum ſit, non in Apulia.*

Quòd Baronius ex Vſuardo, Beda, Adone ſtatuerit paſſum in Apulia, *in tantis rerum*, vt ipſe inquit, *ambagibus nihil habuit, quod præterea diceret.* In eo tamen, quod pro Meſſana Meſſapiam reddiderit, eoſdem authores ſecutus non eſt, ſed ſua coniectura vſus.

Albertus Piccolus non debebat reſpondere Baronio in Notis tam variè ambigenti, ne vbi non opus erat, longiorem texeret diſputationem, & ſufficiebat illi pro re nata communem famã ſequi, & in Martyrologio Romano conquieſcere.

Quod demum Bonfilio non eſſe credendum dicis, parum ad rem facit. neque enim hac in re ſola Bonfilij authoritas robur ſufficit. Quod verò errore forſan typographico Hadrianum anno centeſimo, & quarto rexiſſe ſcripſerit, nimimiam diligentiam, in crepida, quod dicitur, oſtendiſti. Abſtinentior tamen dicti fuiſſes, ſi cogitaſſes, vt Nicephoro

Anicetum

Anicetum pro Anacleto; ita Bonfilio Traianum pro Hadriano incidiſſe, adeoque de certamine Martyrum inchoato ſub Traiano cum quibuſdam locutum, non verò de finito agone ſub Hadriano.

Hisne porrò tu eneruas, quæ Inchoferi coniecturæ in medium adduxere? Ceterum diſce Breuiarium Gallicanum Eleutherium Meſſanenſem Antiſtitem dicere, Martyrologium Romanum Meſſanæ paſſum eſſe, à quo cur Baronius diſceſſerit, non ſatis apparet rationis ex Notis: diſceſsit etiam aliquando ab aſſerta primùm à ſe Iacobi profectione in Hiſpanias, quid inde? Martyrologium Romanum ſequuntur Ordo Meſſanenſis. Fauet Philippus Ferrarius, qui etiam miratur Baronium affirmare nullam extare memoriam S. Eleutherij Meſſanæ in Sicilia, cùm ibi præcipuè cum matre Anthia colatur, vt Tabulæ Meſſanenſis Eccleſiæ teſtantur. Sequitur Martyrologium Siculum Octauij Caietani, vbi hæc. *Meſſana natalis SS. Martyrum Eleutherij Epiſcopi Illyrici, Anthiæ matris, & Corebi Præfecti ſub Imperatore Adriano.* Denique ſubſcribit innumeros Inchofer.

Vin plura? certè omnia vetuſta Martyrologia, quæ Meſſanam habent, huic opinioni fauent, etſi in nomine Apuliæ varient ob confuſa, opinor, plurium acta. Idem habet vetuſtiſsimum, à mille, & amplius annis Martyrologium Romanum, quod Baronius deſiderauit, non vidit. Idem NocKerus Balbulus vix fortaſſe recentior, Henricus Caniſius, Franciſcus de Peregrinis, P. Bellinus: Meſſanam etiam nominat Galeſinus, etſi Siciliæ, vel Apuliæ non meminerit. Alij verò nec Ciuitatis, nec Regni, vt Rhabanus, Menologium.

Certè Baronius, cùm multa dixiſſet, tandem concludit. *Quid in tantis ambagibus dicendum præterea ſit, nil eſſe, niſi vel eundem Eleutherium in vtraque prouincia Euangelium prædicaſſe, vel (vt frequenter,* inquit, *in alijs accidiſſe vidimus) duo fuerunt Eleutherij in vnum conflati, eorundemque ſimul acta confuſa.* Simile quid notat inter alios de Chriſtinæ Vulſiniæ

ſuiæ, & Panormitanæ actis confuſis, qui tamen in ſua Topographia, præclarè Vrbis Meſſanæ Regni Siciliæ primaria mentione præmiſſa, Eleutherium Meſſanæ adſcribit, reijcitque illos, qui vel Miſeni in Campania, vel Meſapiæ in Apulia paſſos ſcribunt; & addit. *Sed neque Meſſanæ, neq; Miſeni, neq; Meſapiæ, aut alibi in Apulia horum Martyrum memoria habetur.* Haberi verò Meſſanæ in Sicilia memoriam, notauit in lib. de Sanctis Italiæ contra Baronium, vt vidimus, qui liber longè poſt editus eſt.

Idem, ac in nominibus Apuliæ, Miſeni Aquileiæ notari etiam poterat in proprio nomine Eleutherij; aliqui enim Eleucium, alij Seleucium, alij aliter; ſic Anthiam, Euanthiam, Aneſam, & Anciam vocant.

Inter omnes tamen præclarè Inchofer & veritati, & ſuæ coniecturæ ex ipſo etiam Baronio conſuluit, dum duos fuiſſe Eleutherios oſtendit, & quæ vtriuſque propria ſunt, emendata confuſione diſcreuit. Annon his de cauſis tu ſat rationis eum habuiſſe putabis, cur in traditam à ſe ſententiam, vel ipſe primus iuerit, vel alios etiam traxerit.

§. LV.

SVades deinde Eleutherium fidem Chriſtianam non ab ipſo Diui Pauli ore traditam hauſiſſe. Ac primum ab Inchofero exquiris, quibus tandem argumentis certò apud ſe, alioſque conſtitutum velit Eleutherium à Diuo Paulo edoctum. Sed reſpondebit Inchofer, ſe id nunquam adeò certum ſibi, alijſque conſtituiſse, vt non coniecturis datum vellet, quanquam ſuam ſententiam recens in medium allatam ſuo pretio ſtare dicat, donec veriora afferantur. Hactenus enim à ſe eſſe veritatem. Quin verò ſi Bacchylus alius ſit ab Eleutherio, ſi ſcilicet id melioribus cõſtet rationibus, fatetur inanem iſtam cenſeri poſſe diſputationem, nihil tamen inde redundare, vel in Traditione vulgò recepta, vel

S ſi quid

ſi quid ſpectat ad fundandam Meſſanenſium Religionem. Addit verò iterum ſe hæc de medijs coniecturis ita pro Bacchyli nomine diſceptanda ſuſcepiſſe, vt neq; ſecundùm ſummam fidem, & religionem teſtimonium ducere velit, neque ſi quæ meliora meliorum præiudicio de hoc argumento facta eſſe conſtet, aliquid vſquam deducere. Et alibi. *Si aliorum*, inquit, *Scriptorum inopiam mihi meus labor diuitias fecit, ita illis vtar, vt duntaxat meum eſſe velim, quod minus rectè dictum ſit, alijs verò cum vſura feram acceptum, ſi quid commodè fuerim aſſecutus, ſemperque Traditionem rectè, an ſecus dixerim, ſuo pretio ſtare velim.* Vides, Pirre, quàm modeſtè, ac temperatè Inchofer loquatur, tu verò quàm immodeſtè illi falsò imponas.

Ratio porrò, & coniectura, quibus ille vtitur ad probandum Eleutherium fuiſſe diſcipulum Pauli, eſt. Quia Eleutherius eo Magiſtro gloriatus eſt coram Adriano apud Metaphraſten. *Mihi, vt meus inquit Doctor, Paulus totus mundus eſt crucifixus, & ego mundo, &c.* At inquis, *etſi Diuum Paulum non audiuerit Eleutherius, eum tamen Doctorē ſuum iure potuit nuncupare, quod ab illo doctrinam hauſiſset Anthia eius mater, quam deinde ipſa tranſmiſit ad filium, ita enim videtur dicere Nicephorus, quem tu ex Inchofero mendicatum eidem objicis, potuiſſe etiam eā loquendi rationē nō dedecere Eleutherium, quamuis tantum ex Epiſtolis Pauli id eruiſset apophtegma,* Sed dic mihi, Pirre, quando Anthia audiuit Paulum, vt deinde docere potuerit filium Eleutherium, & vt loquitur Nicephorus, *religionis eius* (ad quam ipſa perducta fuit) *heredem facere*? Tu vt Nicephorum intelligeres, hæc expendere debebas, & ex Inchofero diſcere.

Verum deinde eſt, potuiſſe ſe eo modo Euleutherium aſſerere diſcipulum Pauli: quid ni & Chriſti, ſicut plerumque alij Martyres fecere, imò hodieque omnes Catholici? Sed quid hoc ad rem? cur detorquenda verba, ſi propriè accipi queant? quid inde abſurdi ſequitur, niſi tibi, qui Eleutherium nolles fuiſſe Meſſanenſium Epiſcopum?

Subdis

Subdis, *neque fortè eam ſententiam ijs compactam verbis protulit Martyr.* Aſt ego credo fortè & ſine fortè eam ſententiam ijs compactam verbis protuliſſe Martyrẽ. Quid ni? At ita à Metaphraſte conſcriptæ ſunt hiſtoriæ, vt ſæpè ex proprio ingenio multa interſerat colloquia Martyrum cum Tyrannis, quod & Baronius, & Bellarminus aduertunt. Verum eſt (ſed tu hic malè conſulis D. Agathæ) idque ipſum dicit Inchofer, ſed cum diſcretione, quando ſcilicet ex antiquioribus contrarium conſtat, ac præſertim, quando quædam dicta incredibilia videntur, etſi religioni non noxia. Nihil horum hoc loco.

Vrges porrò ex Nicephoro. *Ea ipſa ætate præſtanti virtute iuuenis Eleutherius in Illyrico erat, Romæ is quoque ortus matre Anthia, quam magnus ille Paulus ad profeſſionem Chriſtianam perduxiſſe fertur, illa verò filium quoq; religionis eius hæredem, & Aniceto Romano Epiſcopo tradidit, à quo ſacras literas edoctus ſacro Cleri numero inſeritur, & quinto decimo ætatis anno Diaconi gradum conſequitur, mox triennio poſt Presbyter creatur, & deinceps viginti natus annos Illyrici Epiſcopus deligitur.* Hæc Nicephorus. Quid inde?

Quia cùm adhuc iuuenis ſub Adriano diſcruciatus eſt, nequaquam Diuum Paulum videre, & audire potuit, cùm Apoſtolus anno Chriſti ſexageſimo octauo è vita exceſſerit. Nolim ego hoc loco, vt tu Metaphraſten ita Nicephorum erroris arguere; nam ſicut errauit in eo, quod dixerit, Eleutherium ab Anthia Aniceto traditum, ita errare potuit in ceteris. Sed tantùm aio, diſtingue tempora, & concordabis ſcripturas. Hic enim Eleutherius, qui Anacletum magiſtrum, ac patrem agnouit, non hic noſter Eleutherius eſt Illyridis cis Macedoniam peregrinatione Pauli ſacra Antiſtes, ſed alius ille, quem Illyricum ad Iſtriam primùm, deinde Meſſapia Apulorum agnoſcit Epiſcopum, non Meſſana, id multis ſuadet Inchofer.

At Metaphraſtes eundem Eleutherium cùm ad virilem perueniſſet ætatem, à matre oblatum Anacleto refert, proinde cùm

 Eleu-

Digitized by Google

Eleutherium adhuc adoleſcentem edoctum dicant, tam ipſe, quàm Nicephorus, non potuit eſſe diſcipulus Pauli. Poſſem hic tuum telum retorquere, Metaphraſten ſcilicet erraſſe, multa è ſuo genio dixiſſe: aio tamen & ipſum de altero Eleutherio eſſe intelligendum, & nota ex Inchofero, ſcriptis Metaphraſtis multa illata ab alijs, qui diuerſorum ſynonymorum geſta in vnum contulerunt: qua in re non vnum in vitis *S*anctorum errorem aduertimus. In hiſtorijs etiam Nicephori non paucos errores, vel in rebus hiſtoricis, inueniri, aduertit Bellarminus ex Baronio: eoque magis confuſa hoc loco Nicephori narratio, quod eam ex Metaphraſtis additamentis accepit. Vterque reſtituitur ex Inchofero ſi rectè intelligas.

§. LVI.

SEd vrges Inchoferum, & diſijciendas aſſumis tenebras quas *M*etaphraſti, & Nicephoro conatur offundere. Ait, *duos fuiſſe Eleutherios, quos in vnum conflant acta Metaphraſtis; alter fuit à matre Anacleto oblatus Epiſcopus Illyrici ad Iſtriam primùm, deinde verò Meſſapiæ in Apulia. Alter illo antiquior, Diſcipulus Pauli, à Diuo Petro, vel Paulo Sacerdotio initiatus, Antiſtes Illyridis cis Macedoniam, qui inde vel iubente Petro cum alijs Antiochia miſſus in Siciliam venit, vel Diui Pauli in itinere ſocius, cùm is Romam contendebat, Meſſanæ ſubſtitit.* Hæc Inchofer, quid inde?

Iuuenis Eleutherij patria, & martyrium latet: hoc non dicit Inchofer. Antiquiori ſaltem ſunt tribuenda, quæ narrat *M*etaphraſtes, & Nicephorus de Eleutherij martyrio ſub Adriano, quo tempore annum ille agebat centeſimum circiter decimum, & Anthia eius mater annum ferè centeſimum vigeſimum quintum, niſi forrè velis eam fuiſſe prius trucidatam, atque hæc aſſerit Inchofer. Sic tu. Sed Inchofer aliter habet, & moderata vtitur locutione.

Quam

Digitized by Google

Quamquam ſi matrem Anthiam eò vſque prouixiſse, ac vt minus centeſimo vigeſimo quinto ætatis anno martyrium oppetiuiſse mireris. nihil rei demas, ſi vigorem maſculi animi non attritum ſenectа fœminæ corpus aduertas. Neque tamen ſuſpenſum admirabilitate mentem ſis habiturus, ſi cogites Anthiam longè ante certamine functum hæredem poſt annos, ſanguinis, & coronæ habuiſſe aſſeclam Eleutherium, &c. Vides Inchoferum, non aſſerere, ſed opinatiuè, & tanquam id poſſibile fuerit, adſtruere.

Addit tamen, quod tu diſsimulas, *Niſi etiam vero ſimile ſit anticipatis vtriuſque annis ſanguinis ius reddidiſſe, proinde eodem die; eodemque lethi genere victimas extitiſſe.* Id ſanè fatetur Baronius in annalibus, *Eleutherium ſcilicet vna cum matre Anthia ſub Adriano paſſum.*

At Metaphraſtes dicit iuuenem obijſse Eleutherium. Quid tum? vel ſi id dicat etiam Nicephorus. Duorum Eleutheriorum acta confuderunt, vt ex coniectura Baronij in rem ſuam accerſit Inchofer, & ſicut in Illyrici nomine notat erratum eſſe, ita & in appellatione duplicis Eleutherij.

Plura alia dicit Inchofer, quæ tu nec omnia, nec rectè, ſed interruptè fracto ſenſu recitas, imò etiam falſa miſces, neque enim hæc ſunt verba Inchoferi. *Hic etiam ſuus Illyrici Diuus eſt Epiſcopus, quamquam in certa prouinciæ Vrbe fixiſset ſedem, ita quamuis Meſsanæ fuerit Epiſcopus, dictus tamen eſt Siciliæ Antiſtes.* Non, inquam, ita loquitur Inchofer, ſed hoc alio modo. *Illud præterea conſiderandum venit, Eleutherium Illyrici prius dictum Epiſcopum, tametſi puta in capite Prouinciæ Vrbe certam fixiſset muneri ſedem, ita Meſſanam, quæ princeps Siculi regni ciuitas eſt aſsumptum, rectè Siciliæ vocitatum Antiſtitem.* Vides, Pirre, quàm diuerſa ſint hæc à tuis.

Pergis, *Vides, mi lector, quàm multa aſserat Inchofer. Sciаs tamen nihil horum ab ipſo probari.* Vnde tu id probas, Pirre? niſi quod Inchoferum non percepiſti: conijcit ille, nec aſſerit, niſi coniectando: probat etiam pro re nata, ſic vt

nemo

nemo alius: ſed hic rationibus, non teſtibus agendum in coniecturis, ſi noſti Chriſtiani Ciceronis decretum.

At Eleutherium diuidit in duos; cuique Præſulatus attribuit in Prouincijs longè diſsitis. Verum eſt, quid ſi etiam diuidat in tres, plures ſanè fuere Eleutherij, etiam tempore ſuppares.

Ætatem præſcribit, & patriam. Rectè. Sed vtrunque, alterius tantum, non vtriuſque, idque ex connexis, Patriam quidem à patre, à muneribus, à locis; ætatem verò à coniunctis tempori, quod Eleutherius Meſſanenſis, Pauli diſcipulus, ſub Adriano paſſus, & quæ huc ſpectant, quàm plurimis deducit.

Commiſcet, quæ præclarè ſunt ſcripta, Metaphraſtis, ac Nicephori authoritatem, eruditionemque contempſit? Non contempſit, ſed correxit, non ne & tu ab eo doctus in Nicephoro emendando Anacletum pro Aniceto repoſuiſti? & rectè: idque faciunt viri docti, & ſapientes in ſimilibus, vt tempora cum rebus interdum concordent. Sed quid tu Inchoferum accuſas de contemptu Metaphraſtis? non ne tu ipſe paulò ante Metaphraſten ex Baronio, & Bellarminio reprehendiſti, quòd ſæpe ex proprio ingenio multa interſerat colloquia Martyrum cum Tyrannis, quid ſi etiam in his quæ præ manu ſunt, errauit? quid ſi Nicephorus in multis teſte Bellarmino peius impingit, vt quid tam citò tui oblitus es, Pirre?

Siciliæ Epiſcopum appellatum docet. Quid tum? nonne ſicut Illyrici Epiſcopus dictus, ita Siciliæ dici potuit, vt deinde Felix, vt Domnus, vt multi alij, quos tu vel ex Alberto Piccolo, vel ex reſcriptis Gregorij, aliorumque Pontificum diſcere potuiſti.

At nequidquam argumentis confirmat, nec quod turpius, confirmare tentauit. Neſcis, Pirre, illud, *intelligenti pauca*. Probaſſe Inchoferum, paulò ante audiſti, ſi diligenter legiſſes, plura vidiſſes, quæ hic non ſunt exſcribenda. Meliorum meliora iudicia, turpiſsimum verò in te, velle iudicare

quæ

quæ non vidiſti, vel non intellexiſti.

Inſinuat quidem, ne quid diſsimulem duas velut coniecturas ad duorum ex multis, quæ protulit fidem faciendam. Tam citò tibi contradicis, Pirre? modò dixiſti, non confirmat, nec confirmare tentauit, hic dicis, *inſinuat quidem, vt non diſsimulem*: melius dixiſſes, vt non mentiar: ſi inſinuat, ergo probat; ſi duas coniecturas: ergo & rationibus, & argumentis agit, ſuffeciſſet vna. *Duas*, ais, *coniecturas è multis, quæ protulit*, multa ergo protulit ad probandum, eaq; multa duabus præterea coniecturis confirmauit. Quid hic, Pirre? ſi tibi ſimilis.

At hæ coniecturæ longè abſunt ab inſtituto. Videamus.

§. LVII.

P*Rima coniectura eſt de Eleutherij diuiſione, ait, Baronium duos cogitaſſe Eleutherios, quorum acta ſint confuſa.* Ita eſt, ſed tu Baronij dicta perpendis. Ait Baronius. *Latinos auctores Eleutherium, cuius mentio eſt in Martyrologio decimo octauo Aprilis, conſtituiſſe in Apulia: verùm Græci eundem Eleutherium in Illyrico factum Epiſcopum dicunt, quod & Martyrologium Romanum confirmat. Vt ergo* (dicis tu) *hanc Græcorum, & Latinorum varietatem conciliet, ſic ait* (nempe Baronius *(vel eundem Eleutherium in vtraq; Prouincia (Illyrici ſcilicet, & Apuliæ) vel duo fuerunt Eleutherij in vnum conflati, eorundemque ſimul acta confuſa.* Hic etiam iuſtè debebas referre verba Baronij, Pirre; intereſt enim ad rem. *Vel (vt frequenter in alijs accidiſſe vidimus) duo fuerunt Eleutherij in vnum conflati.* Subdis, *Iam hic Baronius non loquitur de actis, quæ recitant Metaphraſtes, & Nicephorus, quæ commixta dicit Inchofer, ſed de his actis, vbi dicitur Epiſcopus Illyrici, & Apuliæ ſubdubitat, illorum verò Scriptorum acta de Illyrici Epiſcopo loquuntur, nec Apuliæ meminere.*

Sed neſcis, Pirre, de ſimilibus, & connexis idem eſſe iudicium,

dicium, & diuerſitas, ſeu error in nominibus, errorem, & diuerſitatem parit, etam in actis, quæ ad diuerſorum nomina referenda eſſent. Et alioqui, quæ acta ſunt, quæ Baronius confuſa putat, an ſcilicet quod alter fuiſſe dicatur à Latinis in Apulia, alter à Græcis in Illyrico: at hæc non ſunt acta, Pirre, fuiſſe enim hic & ibi non dicit aliquid egiſſe,& diuerſa eſt cathegoria, vbi, & actionis. Acta verò ſunt, quæ narrant Metaphraſtes, & Nicephorus,aut ſi quis eſt alius,quæ cum varia in vnum conflata,vni videantur attribui, ſine dubio confuſa ſunt: nec refert à Baronio non nominari Metaphraſten, aut Nicephorum: ſufficit acta confuſa eſſe,quicunque tandem ea ſcripſerit: hanc porrò confuſionem in Metaphraſte, & Nicephoro deprehendit Inchofer,vt Ferrarius in actis duarum Chriſtinarum, etſi non omnes nominet authores, qui diuerſa & erroribus obnoxia, vni, eidemque tribuunt. Hoc eſt,quod dicit Baronius; *vt frequenter accidiſſe in alijs vidimus*. Plura enim ſine dubio in Martyrologijs,huiuſmodi ab eruditis notata ſunt. Nec dubium quin Baronius acta, quorum meminit ad Scriptores geſtorum retulerit, plura dicturus, niſi in Notis breuitati ſtuduiſſet.

Sed inquis, *Fac ſanè duos fuiſſe Eleutherios, vnum in Illyride, alium in Apulia Præſulem.* Quid inde? *Vbi nam Eleutherius, quem Meſſanæ tribuis? Si tertium aſſeris id argumentis confirmandum erat. Si alterutrum ad te trahis, habeaſque eius rei iudicia, ea erant depromenda.* Duos dicit Eleutherios Inchofer, eũdem,qui in Apulia,etiam poſtea Meſſanæ fuiſſe Antiſtitem:negas tu id fieri potuiſſe? Tertium Eleutherium hoc loco non rogat,quamuis plures etiam ſint. Alterutrum ergo ad ſe lubenter vocat,non trahit. Vis indicia? Martyrologium Romanum,& plura alia id habent, Eleutheriũ Meſſanenſem fuiſſe Antiſtitem habent, quicquid tu dicas. Et hæc ſatis præter authores, rationes, & alias coniecturas, pluribus ab Inchofero ductas: *Ergo errarunt Metaphraſtes, & Nicephorus?* quid tum? & tu cum illis, proinde cetera,

quæ

quæ hic dicis verba tantum ſunt inania, & nullius ponderis, niſi alia habeas in tuis pittacijs, quæ à PP. S. à quibus pleraque, accepiſti, vt publicè auditur.

§. LVIII.

A*Ltera coniectura fuit* (inquis) *de Patria Eleutherij, natum, Inchofer ait, in Oriente.* Quamuis Metaphraſtes dicat, *illi patria quidem fuit inclyta, & magnâ Roma*, & Nicephorus ſcripſit, *Roma is quoque ortus*: *id verò ex verbis Metaphraſtis elici contendit.* Hic, vbi multa ex Inchofero refers, addis. *Non ſatis adhuc percipio, an hic Inchofer ſeriò egerit, an de induſtria nugari voluerit.*

Ego verò de te facilè etiam ludam, ſi dicam Metaphraſten erraſſe, ſicut in patria Agathæ, ſed demus non erraſſe, quid ſi vterque locutus ſit de noua, non de antiqua Roma? credo, ſi quis tibi ita reſpondeat, obmuteſces, vt ad vmbram hyenæ. Verùm intelligatur antiqua Roma, quæ propriè dicta magna, dicam Romæ oriundum, non natum. Ita dicam de Agatha Panormi oriundam, non natam, ita de alijs. Videamus vnde id eliciat Inchofer.

Pater Eleutherij tertium Conſul dictus: id non intelligitur de Vrbis conſulatu, quia illis tēporibus præter Octauiū Auguſtum, Claudium Tiberium, Caium Caligulam, & ſerius tandem Veſpeſianum Auguſtum, nemo tertium Conſul in Vrbe fuit. Verùm, quòd nomine Romano cum tertiò fortaſſe Præſes Syriæ, Orientis quoque totius prouinciam adminiſtrarit, nominibuſq; Conſulum cenſus, aliaque id generis publica munia ſignarit, latiori vocabuli vſurpatione Conſul, præſertim à Græcis ſit appellatus. Hæc Inchofer.

At tu quid? *nugatur Inchofer; nam primùm in faſtis tum Siculis, tum Capitolinis reperi T. Virginium Rufum tertium Conſulem, vt omittam M. Cornelium Frontonem, paulò poſt tertium.* Næ nimis eruditus es, Pirre, in faſtis Conſularibus T. Virginium Rufum tertiū Conſulem; non rectè legis, ſed

T P.Vir-

P. Virginium Rufum, qui tamẽ Conſul fuit poſt ſexageſimũ Chriſti annum cum L. Memmio Regulo. Conſul ſecundùm poſt annum octuageſimum. Conſul tertiùm poſt annum nonageſimum, nullo autem horum annorum tempore, aut circa, naſci potuit Eleutherius. Et verum eſt, quod dicit Inchofer, *illis temporibus, quibus naſci potuit, non alios præter nominatos fuiſſe tertiùm Conſules.* Tu verò non T. Virginium Rufum, ſed T. Viminium Rufum nominare debebas, qui tamen poſt ſeptuageſimum Chriſti annum, cùm Ser. Sulpitio Galba, aliàs Vinio primùm Conſul fuit. Vellem te melius eſſe verſatum in faſtis vnà cum Pighio. Quòd verò de M. Cornelio Frontone dicis eadem ignoratione laboras; nam is primùm Conſul circa centeſimum Chriſti annum fuit, nec eius tempore naſci potuit, niſi alter Eleutherius, qui iunior dici poteſt. Ijs porrò temporibus, quibus naſci potuit Eleutherius noſter, nempe circa annum Chriſti vigeſimum, vigeſimum tertium, quadrageſimum quartum, non niſi Auguſtus, Caligula, Tiberius tertiùm, aut etiam ſæpius Conſules fuerunt, quod dico propter Auguſtum, aut etiam C. Caligulam, qui ſæpius fuerunt.

Verùm hic tu eruditior te ipſo factus, corrigere incipis faſtos: *non multum*, ais, *fidendum numerorum notis, præſertim cum cadente Republica Romana omnibus ad Imperatores deuolutis non multum ad aliorum nomina ſignanda curæ eſt adbibitum.* Voluiſſem id etiam cogitaſſes de numerorum notis Epiſtolæ B. Virginis ſuffixis.

Deinde aio te ignorare, aut parum meminiſſe, ſi fortè legiſti, etiam aliquot poſt Chriſtum ſeculis nomina Conſulum hæſiſſe cum Imperatoribus. Diſce, Pirre, epiſtolam S. Caij Pontificis ad Felicem Epiſcopum ſignari Kal. Martij, Diocletiano VI. & Conſtantino II. viris clariſsimis Coſſ. Fuit id circa annum ducenteſimum nonageſimum ſextum, vt viri docti notarunt. Diſce Iulium Flauiũ Criſpum Conſtantini Magni filium Alemãnico bello Victorem III. fuiſſe Conſulẽ. Fuit id poſt tertium à Chriſto ſeculum. Diſce legem ab eodem Conſtantino Arelati latam, l. ſupplicare 2. C. vt lite pendente

pendente dat. Idibus OctobrisSabino, & Ruffino Conſulibus. Diſce ex Ambroſio *Maximum* Tyrannum Italiam ex improuiſo inuaſiſſe, Honorio, & Euodio Coſſ. hoc eſt anno Chriſti tricenteſimo octuageſimo nono, quo tempore ipſe Ambroſius agebat ætatis annum tertium ſupra quinquageſimum, ſed quid ego te pluries erudiam? diſce ex Inchofero.

Pergis adhuc. *Si aliquis dicat mendum fortaſſe irrepſiſſe in Metaphraſtis hiſtoriam, vt ſcriptum legatur Coſſ. III. pro Coſſ. II. ſanè plures in faſtis per ea tempora, quibus Eleutherij patrē viuere oportuit conſulatum geſſiſſe legimus.* Nimia eruditio. Cur hic mendum vis irrepſiſſe in *Metaphraſten*, quem paulò ante defendebas? nimirum ſæpè inconſtans es, Pirre, caue ne Agathæ officias, quid ſi mendum irrepit, cùm Panormi ortam dixit *Metaphraſtes*?

Quartò, inquis, *conſules ſuffectos ab Hiſtoricis, nedum in faſtis ſæpè prætermiſſos aduertit Pighius?* Ego verò etiam dico, decimo quartò ſuffectos, ſed quid ad rem? Quod dicis, *ſi Eleutherij pater, poſtquam* Conſul *fuit, ſemel, aut etiā bis fuiſſet in alterius locum ſubſtitutus, potuiſſet ſanè dici à Metaphraſte tertium Conſul*, non diſcernis inter ſuffectos, ſeu honorarios, & creatos, ſeu rogatos, & confuſionem inducis in pariandis, & nominandis Conſulibus, nomina, & ſpecies rogatis præcipuè, non ſubrogatis dabantur ijs temporibus, ſed poſtea, quod noſſe debebas cum Pighio, & quamuis ita eſſe potuerit cum patre Eleutherij, vnde habes fuiſſe?

Pergis demum. *Hæc Conſulum, & Prætorum nomina cum Proconſule, & Proprætore ſæpè confunduntur, quod aduertit idem Pighius: ſi fuiſſet ergo Eleutherij pater Proconſul in aliqua Romani Imperij prouincia, rectè* Conſul *III. dici à Metaphraſte potuit, quanquam in faſtis eo nomine non cenſeretur.* Nugaris, an ſeriò dicis, Pirre? ſi ſeriò, ergo Inchofer non eſt nugatus, eò quòd dixerit more Græco Metaphraſten vocaſſe Eleutherij patrem Conſulem, quòd Præſes eſſet in aliqua Romani Imperij prouincia, quod & tu fateris: quam-

uis non ſi Proconſul, aut Præſes ſemel, ſed ſi tertiò fuiſſet, rectè latiori vocabuli vſurpatione, vt Inchofer ait, Conſul appellari potuerit.

Iam verò ridiculum tibi viſum eſt, quod Inchofer addit fuiſſe Præſidem *Syriæ*, *vnde*, ais, *amabo te elicit*? Quin tu mihi ridiculus es, Pirre. Concedis in aliqua prouincia Romani Imperij potuiſſe eſſe Proconſulem. Vnde elicis non potuiſſe eſſe in *Syria*? Inchofer id aſſerit proba, & rata coniectura; fuit enim diſcipulus Pauli Eleutherius, nec commodiùs id eſſe potuit, quàm ſi patre Præſide Syriæ natus proximam fama Pauli, iuueni Eleutherio parauit occaſionem. Hoc tu ſi diuinare dicis, quid ſit prudenter conijcere, neſcis. Atque hæc credas, Inchoferum ita ex tripode effatum, vt abs te nequaquam Delij diſcipulo, percepta non ſatis fuerint, id fortaſſe percipies, ni culpa ſit ex ſequentibus.

§. LIX.

SVbnectis poſtremò, quæ de nominibus Bacchyli, & Eleutherij ſcripſit. *Vt hominis genium*, ais, *admireris, qui hæc ſcribere nõ erubuerit. Itaq; eidẽ primo Antiſtiti Meſſanenſi hæc nomina conuenire aſſerit, Bacchyris, ſeu Barchyrius, Bacchirius, Bacchylus, Eleutherius, Liberalis, Philippus, neq; ex vulgi erroribus profecta, vel, vt Inchofer habet non fortuito, ſed conſilio ijs nominibus, ait, fuiſſe nobilitatum.*

Nimis odioſè hæc narras, Pirre, & quidem, vt multa mittam, ſine ſale eruditionis, vt vehementer admirer genium tuum, quòd, qui hæc ſcribas, non erubeſcas, ſed ſapientibus ob imperitiam ridendum proponas.

Legerat ea varia nomina Inchofer apud diuerſos, qui de hoc Bacchylo ſcribunt, & quia appellationem variè afficiunt, atque adeo ſignificata etiam varient, ea omnia, cùm ſingularem habeant notam, rectè in Bacchylo ſedere dixit ſcilicet, vt planè eundem aptè deſignent, atque denominent.

F Quid

Quid frequentius, tum in Sacra Scriptura, tum in Sanctis Patribus, quàm ex eiuſmodi nominibus venari, & rerum myſteria, & nominum ex conſilio impoſitionem. Eſt ea doctrina adeo communis apud S. Thomam, vt nomina Sanctorum Chriſtianis in Baptiſmo impoſita eo cōſilio velit eſſe, vt ad eorum imitationem, quibus ea nomina induntur, ſeſe componant.

Nonne ſimiles alluſiones fiunt in Scriptura ad ſignificanda myſteria, in nominibus Adam, Abraham, Iacob, in vocabulo Ieſu? nonne apud Sanctos Patres in vocabulis Ioſeph, Annæ, Mariæ, quæ & lucernam, & dominam, & ſtellam ſignificat, Ioannis prætcrea, Bartholomæi., Agnetis, Stephani, & id genus aliorum, vt nihil videas frequentius apud Hieronymū, Fulgentiū, Ambroſium, Bernardum, ſed ſæpiſsimè apud Auguſtinum, qui vel vnus ex nominum etiã appellatiuorum ſignificationibus varias paſsim trahit alluſiones, & ſenſus in rem à ſe propoſitam? Hos tu procul dubio etiam velis erubere, quod talia ſcribant, an etiam improbabis Simonis nomen ad Cepham à Chriſto tractum? quod dicat, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Apage, erubeſcendam inconſiderantiam. Debebas verò non diſsimulare, quem tibi imitandum propoſuerat Inchofer, dum eiuſmodi nomina conuenire Bacchylo ſcriberet. *Et verò*, inquit, *mihi quoque hoc loco inceſſit, quod olim Hieronymo quærenti, quiſnam eſſet Zacharias filius Baracchiæ, cùm non vnum legiſset fuiſse Zachariam, ac demum conſentientibus inter ſe diuerſis ſignis eò conceſſit, vt eundē aſſereret eſſe Zachariam, qui & filius diceretur Baracebiæ, & verè eſſet filius ſacerdotis Ioiadæ, cauſamque duntaxat inueſtigans, cur ab Euangeliſta vocaretur filius Barachiæ, non Ioiadæ, ac tandem eam redderet à myſterio petitam, quod Hebræo vocabulo Baracchiæ, benedicti Domini ſacerdotis Ioiadæ iuſtitia monſtraretur.* Hunc ſi in re ſua imitatus eſt Inchofer, tu eum vis erubeſcere? ergo & Diuum Hieronymum? tu verò non erubeſces? an quia fronte perſtricta?

Dum deinde ſubdis, quæ Inchofer ex his ſignificationibus prompſit, neſcio quid de Bacchyrij voce Hybrida muſſas, vt iam hinc quoque myſterium ſit capiendum; neque enim video Inchoferum dixiſſe eſſe vocem Hybridam ex Iudæa, & Græca dictione compactam, gratulor tamen te, & Hæbraicæ eſſe, & Græcæ, præter rhombum peritum, num id a Littara magiſtro, & ciue tuo edoctus?

Inſignem porrò eruditionem oſtendis in notando Bacchyrij nomine; hoc enim cum ex Eſdra acceptum, apud quem βακχούρια primitias ſignificant, Inchofer Bacchylo applicaſſet, tamquam qui ſe ſacram Euangelio victimam deuouiſſet, atq; adeo primitias obtuliſſet, eò fortaſſe, quòd cum primus eſſet Meſſanenſium Antiſtes, primus apud illos religionem ſanguine ſignaſſet: tu hic interponis, *ſed ea vox, vt id moneam obiter ſuſpecta eſt, Henrico Stephano in Theſauro Græco, quod pro ea in Complutenſi editione ſit ſcriptum* πρωτογεννήμασι: quaſi idcirco non poſsit alluſio ſumi ex vocabulo apud Eſdrã poſito, vt à pluribus vſurpato. Scilicet qui Grammaticum citas, non didiceras ex Littara, diuerſas eſſe multorum in Sacra Scriptura lectiones, quod vel elementarij ſcripturarum norint, & ex ſingulis poſſe diuerſas formari conceptiones, vtpote in vocabulis non ſibi contradicentibus ſenſu, ſed ſub diuerſo cortice, idem myſterium occultantibus. Ego verò velim ex te quærere, quæ differentia ſit inter βακχούρια, & πρωτογεννήματα, quo vocabulo etiam alio loco vtitur Scriptura pro primitijs frugum, & id genus? an non ſi rem ſpectes, in idem recidunt, differunt tamen deriuatione vocis, quod tu ex tuo Littara Grammatico noſſe deberes, cur autem βακχούρια apud Eſdram ſignificẽt primitias, & vnde ea vox tracta eſt ad hunc ſenſum, nec Littara, nec Henricus Stephanus te docebunt, doceberis autem si voles.

Atque hæc Inchofer ex cerebro quidem ſuo, rectè dicis; neque enim eruditio tanta ex tuo proficiſci poterat, miror tamen, Pirre, quam ſis ridiculus; vt enim te extrices ab argumento

gumento Piccoli quod tibi intendit in epiſtola Felicis ad D. Gregorium ſcripta, de Benedicto Epiſcopo Syracuſano: quàm multa torques, & ingenium tuum penè diſtorques, vt oſtendas nomen Benedicti, eo loco non eſſe proprium, ſed appellatiuum potiùs, & agnomen accerſitum, id probas ex nomine Timothei, quo Marcellus Toletanus, & longè ante Eugenius. Marcellus propter excellentiam ingenij eſt appellatus, habes id ex Biuario Flauij Dextri comentatore (miror tantum te illi hic tribuere, quem alibi fœdè proſcidiſti) idem eueniſſe dicis in Theophili nomine, quod nonnunquam alijs honoris cauſa attributum: vt neq; certus ſit homo, quem Lucas initio Actorum Theophilum inſcribit, ſed pius quiuis, & religioſus eo dulci nomine, quod Dei amicum ſignificat, compelletur, denique ex Inchofero diſsimulato mendicas argumentum, & eodē quo ipſe Hieronymi argumento à Ioiade, & Barachiæ nomine poſito vſus eſt ad diuerſa nomina Bacchyli, tu quoque hoc loco vis proficere, extra tamen rem, & propoſitum, quid ergo tam audacter inſultas, & vt pannoſus contemnis in diuite purpuram? Nonne erubeſcis, Pirre, cùm tibi aſſumis plumas ad nuditatem tegendam, quas in alijs pro ornamento aptè ſedentes vituperas?

Adhuc tamen magis ridiculus es, cùm vt tuum hunc de Eleutherio diſcurſum concludas, hanc fimbriam aſſuis. *Antequam verò ad ea, quæ in reliquis annis ſeſe offerunt, tranſiliam, addam id, quod a meo inſtituto non longè abeſt* (abeſt imò longiſsimè) *Conſtantinum ſcilicet Imperatorem Baſilicæ in via Lauicana inter duas Lauros BB. Petri, & Marcellini dediſse Meſſanam cum poſſeſſionibus ſuis praſtātem ſolidos octingentos, & decem.* Quid hoc ad rem? niſi vt oſtendas, Meſſanenſem Eccleſiam, vt olim Vrbem ſociam Romanis, ita Romanæ Eccleſiæ fuiſſe cum ipſa Vrbe vectigalem, antequam cæteræ Siculæ Ciuitates emerſiſſent, tu tamen, quæ de Conſtantini dono diſputantur, non audes in examen adducere.

§. LX.

§. LX.

Satis diu actum de Eleutherio, adhuc tamen lubet te ad te ipſum reducere, vt ex te ipſo diſcas, qui mihi fortaſſe morem gerere haud valeas. Ecquid quæſo tibi negotij faceſsit Meſſanenſis Eleutherius, quando quid laboris moliri domi ipſe debeas, ſatis habes. De primo Antiſtite Meſſanenſi diſceptas; de Panormitano quid ſiles? Exere illud ingenioſum, *Philippus a Petro miſſus in Siciliam*, ergo: necte Oedipe, quæ potes. Quid ſi Philippus iſte non tam à Petro ſit miſſus, quàm longè poſt à Petri ſucceſſore, Innocentio ſcilicet, Archadij temporibus ad clauum Eccleſiæ ſedente, vt facilius ſit huius nomen reponere, quàm tot ambagibus (quod tu laboras) ægrè circumire, neque tamen negabis à Petro miſſum, quem Innocentius eadem poteſtate miſit. Et neſcis Innocentij dictum ad Decentium Eugubinum? Quid mirum ergo ſi a Petro miſſus dicatur Philippus (Argyrenſem puto) nam ſi qui alius eſt Philippus, cuius etiam meminit Baronius in Annalibus ad annũ Chriſti Saluatoris millesimum quinquagesimum ſextum, is fortaſſe ſit Eleutherius Meſſanenſis, quem ex ſorte Philippum vocitatum ex Inchofero didiciſti: certè aliquam ei notam, vnde diſcrimen peti poſsit, Baronius haud apponit. Ceterum de Philippo Argyrienſe, ipſe in Notis ad Martyrologium vj. Maij, ſatis expreſſè innuit, Archadij temporibus aduixiſſe. Scio in Martyrologio non ita vetuſto, a Petro miſſum cenſeri, idque ſecutos qnoſdam non mala fide, at recentius Martyrologium id ſuſtulit, atque a Romano Pontifice duntaxat miſſum aſſerit, idque, vt dicebam, in diebus Archadij factum insinuat Baronius in Notis, vt videri queat, ſi in poſterioribus annalibus Philippum a Petro miſſum reſtrictè ponat, de alio quopiam ſenſiſſe, alioqui animaduerſurus, quæ in Notis ad Martyrologium cenſuit, ne ſibi

diſsimilis

Digitized by Google

diſsimilis eſſet. Hanc ex Euſebio ſententiam plures ſuſceperunt, nec facilè quiſpiam euertet ex leuibus quibuſdam coniecturis, quòd ætate, & robore conualuit ad certam traditionem. Euſebium eius rei teſtem, plerique Scriptores argenteo calculo digni, amplexi ſunt. Athanaſius eadem penè, vel te fatente, Pirre, ſcripſit, nec te Neronis tempora turbent, hic ſi mendum eſt, facilè tectorium admittit.

Quod tu de Canonico libro à Pontifice dato eidem Philippo dicis, quaſi hinc in Petrum redundet hiſtoria, ex te ipſo fingis; neque enim ibi de libro Canonico fit ſermo, ſed de libro virtute Spiritus ſancti ſcripto, quod iuxta communem acceptionem latiùs patet, quàm eſſe ex ſententia Canonicum, vt illa etiam ſcripta comprehendat, ad quæ pio quouis inſtituto mouemur perſcribenda (neque enim ſumus ſufficientes ex nobis cogitare aliquid boni, tanquam ex nobis; ſed omnis ſufficientia ex Deo eſt.)

Illud etiam dictum Euſebij. *Verè te imitatorem oſtendiſti eius, quâ te in Presbyterum conſecrauit Petri.* Latam habet interpretationem, ſiue ad nomen Petri, ſiue ad munus conſecrandi mentem referas, vt more Alexandrinorum, nomine Petri, non niſi Pontificem Romanum in petra, & fide Petri fundatum intelligas, aut certè officio ab ipſo Chriſto, Petro in primis concredito, munus etiam conſecrandi ab eodem Petro eſſe cenſeatur, quatenus poteſtate cum ſacerdotio illi communicata in Vicarios Chriſti, & Petri ſucceſſores, id munus deriuatum eſt. Video, quàm te torqueas, Pirre, quàm multa exempla congeras, errores ſcilicet in varia immiſsos ab annis, ab authoribus, à ſcriptis, quæ fortè ex margine irrepſerunt, ex ignorantia eorum, qui non diſcreuerunt: infinita penè cauſaris: ex quibus etiam Octauium Caietanum vendicas, alioqui tibi contrarium, ſed pœnituiſſe illum ſuæ opinionis, ais, ſcilicet id ex mortuo accepiſti, ò quàm facile modo eſt tibi, tuique ſimilibus affingere Caietano, quæ nunquam ipſe ſomniauit! nempe opus eius poſthumum apud vos manſit, multis, opinor, inaragdum

randũm ſulcis; vt placentia habeatis: quàm doleo multorum hinc falſum iri expectationem, qui meritò magna, & præclara conceperunt; ſed eo defuncto, prodibit, opinor, liber à multis extritus, multis etiam intritus, quæ viuens ipſe non dixiſſet: quàm ſanctè dixit quidam, *mortuorum monumenta non eſſe contaminanda*: & Herocles, *mortuorum dictis, caue ſalſuginem inſpergas*. Oh ſi remorderent, aut ſaltem loqui illis permiſſum cum viuentibus foret, Delpho opus non eſſet! Sed erro; neque enim mortuorum duntaxat, imò & viuorum ſcriptis vitium infers. En, Pirre, quàm facilè vertantur optima quæq; ſi tricare animus. Ego coniecturam tuam de Philippo non improbo, quin in multis aſſentior, conabor etiam vltra tuis meliora addere: ſed quod in te reprehendo, eſt, cur Inchoferũ laceras, cùm ipſe ex coniecturis, & quidem melioribus incedit ad Eleutherium, cur improbas, quæ ille errata confet, in varijs de Epiſtola B. Virginis narrationibus; cùm aut numeros annorum, alioſque characteres ignauia, aut ignorantia aliorũ irrepſiſſe prætendit, cùm à ſimilibus petitam veritatẽ ad rem ſuam arceſsit, cùm errores præſertim in numeris admiſſos conatur reſtituere; deniq; (vt in Eleutherio maneamus) Metaphraſten, & Nicephorũ aut emendat, aut cõciliat, aut certè ſingulorum dicta æquiſsimo ſenſu interpretatur, cur hæc tibi in illo diſplicent, quæ tu velut rapina quadã premis, exprimis, vt Philippum à Petro miſſum tuearis, plurium, & meliorum ſententiam à tergo ponas, neque id vllo alio fine, quam vt inde antiquitatem Antiſtitis Panormitani venèris, ſed quod ridiculum eſt tam abiuncta connexione, vt facilius ex gallina lac, quàm ex tuo poſito, quod cupis, eliciatur: ſcilicet quia Syracuſæ habent ſuum Martianum, Tauromenium Pancratium; Meſſana Bacchylum, metuebas, ne tibi efflueret Panormus, niſi Philippum a Petro miſſum apprehendiſſes. Expecta parumper, & ego reſtituam Panormum ſuæ dignitati, & ſplendori, & alium aliunde accerſam primum Antiſtitem, qui te hactenus latuit; quid

Digitized by Google

ſi Philippo Archadiano antiquiorem præſtitero: quid ſi prope ad Apoſtolorum tempora reuocaro, vt fructum, & florem ad ſuum ſemen? Illud, amice moneo, vide, qui Euſebium emendas, Metaphraſten cum lubet, reijcis, Albertum Piccolum laceras, Ioſephum Bonfilium acerbè perſtringis, Franciſcum Baroni verò laudas, per multa illi ſimilis, in Conſtantia regina diuerſus; non moror, miror verò eodem ferè tempore, eodemque loci Scriptores pugnantes in ſat notis inueniri, vt inde iudicium fieri queat, quo lumine pergant in obſcuris; velim tamen animaduertas, non eſſe culpandos Meſſanenſes, ſi quando in rebus remotiſsimis, in coniecturas interdum abeant differentes. Hæc inquam omnia cùm facis, caue ne Fazzello nimium inhæreas, ne eandem & ipſe à Baronio cenſuram feras, maximè quippe ſpectandum, ne quos idem crimen ligat, eadem etiã ſententia implicet.

Sed antequam ab Eleutherio diſcedamus. Noris, Pirre, me diligentius verſatum in dubijs circa opinionem Inchoferi mouendis, & commodùm accidit reditus eius ex Vrbe, vt non iam per literas, vt antea, ſed præſens erudirer, vbi vſus ferret. Conueni hominem amicum, & plura ſciſcitatus circa varia, cùm eruditior euaſiſſem, placuit, vt te quoque erudirem. Obieci inter alia, qui fieri poſſet Eleutherium in Oriente quocunque tandem loci, patre eius Proconſule, vel etiam Prætoris Præfecto natum, quando eiuſmodi Præfectis è Senatuſconſulto non erat, vxores ſecum ductare in peregrinas regiones, ſed domi relinquere rerum familiarium ſatagentes, id quod & Seuerus Cæcina apud Tacitum affirmat, & Vlpianus *l. 4. ff. de offic. Proconſ.* tanquam ſanctum habet, laudato in rem Senatuſconſulto, Cotta Meſſalino grauiter, ac ſeuerè cenſente. Ex his videbar mihi confirmaſſe Eleutherium Romæ potiùs natum, ac deinde in clerum aſcitum, mox a Romano Pontifice, quo vſus poſtulabat, miſſum, vt rectè cenſuiſſe videretur Nicephorus, alijque patriam Eleutherio Romam adſcribentes.

Digitized by Google

Ad quæ hilari vultu, ex tẽpore hæc ferè mihi reddidit Inchofer. Te quoq; mi Benedicte, Pirrizare cogitarẽ, niſi pro tua legũ profeſsione magis eruditè, vt nemo alius dubitares Rectè tu quidem, ſed noueris etiam pluris æſtimatũ pro *S.C.* quod Valerius Meſſalinus contra egregiè diſſeruit, conſultius ducens, vxorem Præfectis prouinciarum comitem marito adhibendam, idque è fide maximè coniugali eſſe, vel ſi de maximo in curis leuamine, & in moleſtijs ſolatio nihil dicatur, quorum vtrinque tamen pari penè vinculo connexum eſt. Conſilium hoc multa deinde exempla probarunt. Sic enim Antonius feciſſe credendus, cùm geſsit prouinciam Illyrici, ſic Flauius Dexter, qui ſe prætorio Orientis præfectum fuiſſe teſtatur initio Chronici ad Oroſium, ſic deniq; Ambroſius, pater Ambroſij Antiſtitis Mediolanenſis, dum Galliam Præfecti nomine adminiſtraret, vxorem ſociam habuit, ibidemque filium Ambroſium ſuſcepit, ac vt Auſonius Gallus, Flauius Dexter Hiſpanus, Ambroſius, Romanus ciuis fuit, ita patrem Eleutherij Romanum ciuem fuiſſe, & nihilominus tempore præfecturæ in Oriente Eleutherium genuiſſe quid vetat? vt idcirco à Nicephoro Romæ ortus, rectius tamen pro vſu loquendi oriundus diceretur. Sed Nicephorus, quod fortè patrem Eleutherij Romanum eſſe didiciſſet, facilè deerrauit, vt & Eleutherium Romæ ortum aſſereret, qui error alijs etiam adhæſit in Ambroſij patria decernenda, vt quia pater Romanus eſſet, ipſe quoq; Romæ natus putaretur, vel certè, quia patre Romanam Profecturam curante ipſe ortus fuiſſet, idcirco Romæ editus haberetur, ac vt hæc ſuſpicio induxit S. Antoninum, quòd Ambroſium Romæ ſuſceptum crederet, ita Nicephorum, vt idẽ de Eleutherio ſuſpicaretur, pari omninò exemplo; nam & huius pater Romanus prouinciã adminiſtrabat.

Mitto Græcis Scriptoribus plerunq; vſu venire, vt quoſcunque Romano Imperio addictos, vel Romanis legibus viuentes, vno nomine Romanos appellent. Cuius rei exempla innumera ſunt apud Procopium, Nicetam, Gregorium

Photium, & alios, quanquam & latini interdum Scriptores Romanos vocent, qui barbaro ritu non agerent. Nec neſcio doctos authores Romani Imperij nomine Conſtantinopolitanum intelligere, Romanos verò antiquæ Romæ Latinos appellare, vt vel hinc ex Nicephoro nihil admodum ſolidi peti poſsit, ſi Eleutherium Romæ ortum dicat, ambiguo ſenſu, niſi diſcrimen addat.

Lego etiam Chromatium Romanum Epiſcopum dici, cùm tamen Epiſcopus eſſet Aquileienſis, non niſi quia Aquileia ciuitas Romana eſſet,atq; etiam altera Roma dicta, quòd Colonia Romanorum eſſet, nobiliſsima, vt iam vel ſi Meſſanæ natus ſit Eleutherius, Romanus dici queat, ſiue Romanis legibus viueret, à Barbarorum ciuitate longè ſeiunctus, ſiue quia ortum deberet ciuitati, quæ Romanorum velut conſanguinea, prima in Sicilia Romanæ prouinciæ facta eſt, fœderatæque tulit prærogatiuam, nobiliſsimo vtique nomine, & decore nominis nunquam abolendo.

Sed his adminiculis non egemus, dicimuſque Eleutherium Romanum, aut Romæ ortum dici poſſe, quamuis extra Romanum ſolum quàm longiſsimè sit productus in lucem, non domus, aut familiæ tranſcriptione, ſed occaſione prouinciæ à patre obeundæ, vbicunque tandem gentium, ac terrarum is verſaretur, vt idcirco Roma illi patria, non iure communi ad omnes Romanis ſubditos, extenſo ſenſu, ſed peculiari cenſione, adeoq; natale ſolum affirmari queat. Id ſemel profeſſæ ſunt leges Romanorum, *l. Retro. ff. de captiu. l. Ciues.* C. *de incolis. l. filios.* C. *de municip.* vt nimirum natiuitatis locus haberetur is,in quo parentes domicilio fixo ciues eſſent ad eundem reuerſuri, si fortè inter exteros Reipublicæ, & negotiorum cauſa, præter decennium abſentes,liberos edidiſſent, hac de cauſa & Paulinus, quamquam in Aquitania lucem hauriens, Romanus eſt appellatus, itemque Ambroſius à *S.* Baſilio epiſt. 55. ex Vrbe Regia, hoc eſt Romana eſt cenſitus. Plures mitto,ne in claris abundem. Hæc Inchofer, quæ ego diligentiùs retra-

ctans

ctans, intellexi præclara vtique iuris fictione id fieri, vt in pleriſque, nec vltra dubitaui, quin ſubſcriberem, & præclaram Inchoferi eruditionem meo quoque calculo comprobarẽ, & ex iiſdem legibus, vltro de ijs quoque lubenter ſemel decernerem, de quorum ortu gloriæ cauſa apud non paucas Ciuitates controuerti ſolet, vel grauiſsimorum Iuriſperitorum in leges ab Inchofero laudatas aſſertione, quos inter Barbatia noſter, Abbas Catinenſis, Rebuffus, Ripa, & ſexcenti alij numerari poſſunt.

§. LXI.

ADhuc vellicas Inchoferum in alijs. Narras ab Vrbano VIII. Pontifice, mox datas Romæ Indulgentiarum literas 17. Maij, exſcriptas Panormi, hac tantùm variatione facta, quod Vrbanus non Deiparæ ſacello, vt Paulus in anno 1616. *Et nos* (ais) *integrè ſupra retulimus, ſed eiuſdem Virginis de Litterio aram, ait, ſeu Cappellam in tertio die menſis Iunij, à primis veſperis deuotè viſitantibus, &c.* Addis tu, *ijs ergo, qui ea, qua decet pietate ſacellum, vel aram B. Mariæ viſitauerit, pleniſſimus gratiarum cumulus conceditur: non ergo Pontifex feſtam Epiſtolæ celebritatem ſacrauit, vt mala interpretatione inſinuare Inchofer videtur.* Hæc tu, Pirre.

At Inchofer non dicit, feſtam Epiſtolæ celebritatem annuam ſacrauit Pontifex, aut ſacrarunt Pontifices, ſed vterque Paulus V. videlicet, & Vrbanus VIII. vterque inquam plenis gratiarum de more indultis, feſtam Epiſtolæ celebritatem annuam ita religioſam eſſe duxerunt, vt ea ratione pietatem in animis fidelium promouerint, quod non eſt ſacrare Epiſtolam in ſe, ſed celebritatem annuam à Meſſanenſibus ſeruatam, religioſam ducere, & pietatem promouere, ea quippe indulta à Meſſanenſibus petita pro tertia die menſis Iunij, non niſi eam celebritatem promouent, quam

ipſi

pſi Meſſanenſes promotam voluerunt, eaque ipſa die, qua Epiſtolam Virginis ſeſe accepiſſe memorant, nec non in dicta viſitatione aræ, ſacelli, aut cappellæ, quã ipſi,& Pontifices de Litera nuncupant. Quæ tu ſi intellexiſſes, non hinc, malo tuo, occaſionem quæſiuiſſes vellicandi Inchoferi.

Heus nempe, bone vir, qua fronte iactas te ea Indulta Panormi exſcripta, integrè retuliſſe? eſtne integrè referre, falſificare in literis Pontificijs, id vbi cardo rei vertitur? Tu enim exſcripſiſti Cappellam B.Mariæ *de Litterio* nuncupatam, at vtrunque exemplar Pontificum *de Litera* habet, recognitum id eſt Romæ, allata originalia Meſſana, Panormi antea viſa, & inde Meſſanam cum inſcriptione miſſa: recognitum dico, cùm eadem falſificatio in Franciſco Baroni, non ſine nota temeritatis inuenta eſſet. Itane tu integrè refers, & quidem in exſcriptis Panormi, an Panormus falsè exſcribat? Te ego, non Panormum, tuamque fidem accuſo, & in ſuſpicionem voco, quis tibi credat in tuis Notitijs, quis in alijs? nimium ludis tuam fidem: ſaltem dicas te ex Franciſco Baroni, non ex Tabulis Panormitanis exſcripſiſſe, non animo falſificandi (quis credat?) habebis ſolatium ex ſocio. Sed plura etiam falsò exſcripſiſti; minoris quidem momenti, ſed quæ tuam fidem, & diligentiam accuſent. In literis Pauli V. quas tu deſcripſiſti, dicitur, Metropolitanam Meſſanenſem, & in ea *ſitam* Cappellam B. Mariæ de Littera: at tu ſcribis in ea *ſuam* Cappellam B. Mariæ, vt ſic ſenſum, & Grammaticam per cacophoniam peruertat, ita ne doctus à Littara?

Præterea dicitur ibidem; qua die egerint, etiam centum dies de iniunctis eis, at tu mittis particulam [etiam] & perturbas reſpectum habitum ad antea dicta de alijs centenis diebus. Mi vir, vnica particula ſola mutata, vel ſi non adeo neceſſaria, maximam tibi notam meritò inurit.

Sed quid monſtri eſt, quod dicis: *de iniunctiuris eis, ſeu alijs quomodolibet debitis pœnitentijs*: hanc ne tu Grammaticam

cam à Littara didiciſti? ſic ne per negligentiam probro tra ducis Literas Apoſtolicas, vt legentium ſcandalo, ne dicam malorum, præſertim Hæreticorum riſui exponas? nolo hic tecum ex lege agere, Pirre, ne te reum peragam, ſed qui in Inchofero, & Alberto, vel errores typographicos obſeruaſti, literas Pontificias reuereri debebas: ſcilicet nimium intentus fuiſti animo, & genio tuo, & quid præſumeris feciſſe in Notitijs?

Ceterùm, quæ de vocabulo Literij dicis ex tuorum literatorum eruditione trahis: ſcilicet Sacellum Deiparæ vocatum dicitis à Litterio, vel Literino (miror te non dicere à Littara magiſtro, & ciue tuo) vbi de more concinebatur. Ita nimirum ſynonymorum doctores, quibus perinde eſt Vrbium, & Diuorum nomina confundere, nedum falſa pro veris aſſerere. Apage nugas: præclarè verò veſtra commenta non ſine ſale afflixit Inchofer, ab inconſiderantia, à figmentis non cohærentibus, ab inertia, à craſſa Minerua. Et quoniam pro Literino eruditè peregit ille, & fabarios, vltra quam vel leges Solonis vellent retroëgit: nihil addo. Te ſolum conuenio, Pirre, ſynonyma venaris, fortaſſe aliquid græcæ farinæ adhæſit tibi, ſi tamen magiſter, & ciuis tuus inſperſus fuit. Imago Virginis à Grafio, quod Latinis à literis ſonat, & hodie vulgo corruptè, ſed ad tua ſynonyma appoſitè, *la Madonna del Graſeo* dici ſolet: vetuſtate ſua ſupra ſeculorum memoriam ſatis, ſuperque redarguit, malè aſſulata figmenta, & vt quidam ait, exoſſata mendacia: nec plura addo, ad Inchoferum te mitto, ſed vide intelligas ſi lecturus es.

Ea ſanè Imago monumentum eſt antiquæ, & conſtantis à Deipara in Litera repromiſsionis, nec ſolũ id nomine Græcanico præfert, ſed peculiaribus atteſtatur ſignis beneficiorũ indicibus, quæ Meſſanam cõmuni propemodũ fauorum legi eximunt, meminit plurimorum Inchofer, meminere alij, nihil tamen ad rem dignè ſatis dixerunt. Plurima & ego collegi, quæ peculiarem ſibi operam expoſcunt, vel id

vnum

vnum maximo ſit argumento, ſeruatam nuper à peſte cum toto diſtrictu Meſſanam, cùm magnam Siciliæ partem miſerè deformaſſet, vni Deiparæ Virgini, ex fiducia repromiſſæ protectionis, nos ſignatè adſcripſiſſe, idque non inanibus coniecturis, aut cauſſarijs miſerorum imaginationibus, ſed manifeſtis ſignis deprehendiſſe, adeoque ad gloriam Deiparæ Virginis magno pietatis ſenſu, & publica gratiarum actione teſtatos eſſe.

Nec id ſine memoria Pauli Primi huius (niſi ante Princeps Apoſtolorum adfuerit) Vrbis prædicatoris, cuius etiam ſacras reliquias, ſacrarum cæremonijs peractis, deuota Cleri ſanctitas, & Populi religio ſolemni ſupplicatione circumtulit, eas dico reliquias, quæ vſitatam à prima Meſſanenſium conuerſione, quà potuit, publicè ſupplicandi religionem, multis poſt ſeculis augere cœperunt, quando anno milleſimo quadringẽteſimo trigeſimo quinto, Sanctij de Heredia dono ad ornandos huius, tanquam primi in Regno Cathedralis templi (quod tuis Notitijs non parum officit) theſauros acceſſerunt. Similiter alia ex occaſione noſtris temporibus Diui Alberti annuam celebritatem auctam agnouimus; ex Senatus, deinde populique voto omnibus reliquijs circũferendis in doni eiuſdem Sanctij memoriã, dies Iacobo Apoſtolo ſacer dictus eſt: vt hinc quoque pateſcat, quæ ex fide tuarum Notitiarum eſt inconſiderantia, qui ſupplicationem Paulo ſacram tunc primùm cœpiſſe dicis, cum Sanctij Herediæ munere, reliquiæ illæ ſacræ exceptæ ſunt. Sed quid ex te melius?

§. LXII.

IN fine Auctarij tui addis ad illa quæ dixeras de Inchofero, eum adhuc Romæ morari. Addis, dico, *imò poſtquam hæc ſcripſi, vidi decretum editum Romæ decimo quarto Aprilis: exſcriptum verò Panormi die nono Auguſti*, Vbi inter libros

bros cenſos refers ſexto loco librũ Epiſtolæ B. Virginis ad Meſſanenſes, Veritas vindicata. *Hic eſt*, inquis, *liber ab Inchofero editus Meſſanæ anno milleſimo, ſexcenteſimo vigeſimo nono.* Subtilitas verè inſignis. Sed tu in nota decreti Romani falſificas, ita in omnibus falſus, an tibi veneficijs, aut cantionibus cuiuſdã Titiniæ id factum? Subdis, *permitti eodem Decreto coniectationem pluribus rationibus locupletem* (ita lego, ne te ſemper errare arguam) vt enim mittam Grãmaticam; omittis verba decreti, ſolito more falſificandi; Decretum enim habet, *pluribus rationibus, & veriſimilitudinibus*, quod verbum vltimum tu de induſtria mittis.

Hanc coniectationem adhuc te videre nõ potuiſſe dicis, ais tamen, *ſi in ea ſint eadem argumenta, quæ in libro Meſſanæ edito, illa euertet mea hæc diſſertatio.* Vidimus quomodo hactenus euertit tua hæc egregia diſſertatio, vt te in ruinis ſepelierit. *Sin alia, de ijs*, inquis, *iudiciũ feram, cùm videro.*

Ego verò te moneo, ſi ſimile iudicium tuleris, iam tu iudicatus es ex ſententia Philoſophi, ſatiùs eſſet ſedendo priùs meditari, quã ad album accedere, vbi ludum ad muſcam aheneam repræſentes. Arrietaſti, Pirre, fractus non infregiſti.

AV-

AVCTARIVM.

ADdam & ego huic meæ opellæ Auctarium, vel vt Inchofer loquitur in ſimili, Mantiſſam, non vt demenſa referam, ſed vt aditum ad reliqua mihimet ipſi muniam, neq; tamen occupatum ab alio laboꝛem vendicabo, ſed quæ huc tantùm facere videntur, breuiter attingam.

Multis locis inſinuat Inchofer, etſi non inhæreat, ex hac Virginali Epiſtola, peti poſſe Primatum Meſſanæ, etſi cetera non militarent. Id modò accipio: alio loco ad normam probaturus, & aio, ſicut viri ſapientes in rogandis prærogatiuis, reſpexere ad conceſſa à Conſulibus Romanis, ab Archadio præterea, priuilegia, & à Normandis Regibus, vt recentiores omittam: ita meliori fortaſſe ex parte reſpicere etiã potuerunt, ad hanc ſingularem Deiparæ gratiam. Quod inter alios paucis, & robuſtè fecit Blaſius Gundiſaluus in cauſa coram Rege peracta, vt præiudicata, hinc in poſterum opinio fieri queat, niſi etiam alia ſint, quæ ad rem faciunt.

Inter hæc verò, ſi quid vſquam, ſapientibus magnam vim habere videtur ad prærogatiuam Meſſanenſis Eccleſiæ atteſtandam, Decretum illud Innocentij, quod refertur, *De offiio Legati, c. Quod translationem.* Quod quemadmodum Defenſor in noua editione refert, Choppinus magnus Franciae Iuriſconſultus ita adducit, quaſi priſcam contentionem inter Mamertinos, & Panormitanos conflictatam, eo ſopitam velit. Mirum verò, quantum in re alioqui clara, tu, & Franciſcus Baronij tricetis, nec vnquam vos extricetis. Certè varia lectio, quam tu affers, ex te mihi fidem non facit, qui recentia etiam corrumpis; exſcribis enim illud Decretum, & formas eo modo, quo à te facit, non quale à

Pontifice reſcriptum eſt.

Ita quippe fingis ſcripſiſſe Pontificem Legato ſuo, qui Panormitanam Eccleſiam Meſſanenſi ſubiecerat. *An exiſtimas, quia vices noſtras, tamquam Legato tibi commiſimus exequendas, vt illam iſti præficeres, conceſſo ſibi priuilegio primatiæ, an putas ex eadem cauſa tibi licere duos Epiſcopatus vnire?* Sed vnde quaeſo, & ex quo primigenio exemplo hoc exſcribis: mitto enim plura errata, quae in eadem exſcriptione oſcitanter committis, hoc, quod eſt palmare, & neceſſarium, vrgeo. Vnde habes? ex Vaticano nequaquam, ſcio ego, quid mihi ea de re Roma perſcriptum. Prome, Pirre, haec te res magis vexat, quàm multa, quae in Bonſilio notaſti.

Scilicet, ais, legendum alij malunt, *an exiſtimas, quod Panormitanam Eccleſiam poſſes ſubijcere Meſſanenſi?* Rectè, & ita legendum eſt: & tu ipſe fateris in aliquot Decretalium Gregorij IX. exemplaribus ita reperiri. Vides, Pirre, pluris hic eſt errores à te intrudi, quàm Metaphraſten, & Nicephorum ab Inchofero emendari.

Ais, *occaſionem diuerſis, imò oppoſitis ſententijs præbuit vetus editio; nam in vetuſtiſſimis omnium codicibus, & in aliquot etiam poſtremæ editionis, non omnes ſunt appoſitæ literæ nonnullarum vocum, ſed nomina in compendium redacta breuitatis cauſa, hoc modo: An exiſtimas, quod Panorm. Eccleſiam poſſes ſubijcere Meſſan.* ita, vt primo loco non dicat Panormitanam, ſed Panormitanae, & vltimò non Meſſanenſi, ſed Meſſanenſem. Vnde haec probas, Pirre, quem authorem pro tua laudas inconſiderantia?

At enim id ſuadet apertiſsimè ipſa Pontificiae orationis conſecutio, & colligatio, *vt illam præficeres iſti.* Hic tu triumphas ex Littara Grammatico credo. *Age verò, quis vel primoribus, vt aiunt, labijs latini ſermonis attingit latices, cui non conſtet in hac poſtrema periodi parte pronomen [illam] mentis oculis ſubijcere, quod longius diſtat ſubſtantiuum, Panormitanam ſcilicet Eccleſiam; aliud verò pronomen [iſti]*

Meſſa-

Meſſanenſem Eccleſiam in memoriam reuocare? qui aliter velit, is profectò potiùs dicendus erit ineptus, quàm vt ineptam Pontificis locutionem aſſeramus: ſin verò hæc ita ſint, vt altera periodi pars primæ cohæreat, Panormitanæ certè legendum erit, de qua ſcilicet dicitur, quod illam præficere voluerit, alioqui turpiter in vna eadem periodo oppoſita concludens, Panormitanam Eccleſiam Meſſanenſi ſubiectam, & Panormitanam Eccleſiam Meſſanenſi prælatam, dixiſſet Pontifex.

In hac eadem arce Grammaticae triumphat Franciſcus Baroni, proh quantum inſtar in ipſo eſt? quid verò mihi quaerenti reſponderit ad hanc Grammaticationem Inchofer, infra afferam.

Nunc, Pirre, nugae, & nuces ſunt, quae obtendis. Quis vnquam tibi credat tot exemplaria Decretalium Gregorij, & Epiſtolarum Innocentij mendoſam prae ſe ferre lectionem, vt tuis ſomnijs credamus, praeſertim cùm Gregorij XIII. iuſſu vniuerſum corpus iuris Canonici diligentiſſimè excuſſum, & recuſum eſt, collatis quàm plurimis exemplaribus. Vbi tunc fuit hæc tua conficta interpretatio, cur non ad eius veritatem cetera exemplaria correcta, & emẽdata, cur vbique ea duntaxat circumferuntur, in quibus non dictiones abbreuiatæ, ſed integræ, & expreſſè indicant Meſſanenſem iudicio legati prælatam Panormitanæ Eccleſiæ, & hanc illi ſubiectam? ſcilicet, tu fabulas ad fuſum.

Quis etiam credat tot interpretes Canonis tam ineptos (vt tibi lubet) dicendos eſſe, tam oſcitanter egiſſe, aut agere, vt hanc lectionem ſupponant, & ad interpretationem ſuam trahant, quod nec tu ipſe negas, quamuis frigidè dicas, vnum codicem facilè errorem hauſiſſe ab alio: quæ etiam cauſa fuerit, vt iuris Interpretes plerique in eum locum ea ratione præbeant quæſtioni argumentum, perinde quaſi Panormitanam Eccleſiam Meſſanenſi Legatus ſubdidiſſet: ſcilicet omnes iſti Interpretes ex ſuo genio mẽdoſos codices habuerunt: & profectò mirum, quòd ex tot præclaris, & antiquis interpretibus nemo vnus correctum tuum

codi-

codicem habuerit, fortaſſe, quia nondum eras tu; vel Baroni in natura, qui corrigeretis, quemadmodum etiam correxiſtis literas Indultorum Pontificias, in quibus Litterium pro Litera repoſuiſtis.

Sed inquis, *Interpretes cùm in eo toti ſint, an ſuo iure Legatus aliquam Eccleſiam alteri ſubijcere queat, neglexiſſe videntur, an in literis Pontificijs diceretur, quod Meſſanenſis Eccleſia infra Panormitanam, vel quod contra Panormitana infra Meſſanenſem conſtituta ſit, ad rem enim, quam ipſi ibi pertractant, perinde eſt, quoquo modo id tandem acciderit.*

Nugaris, Pirre. Aſſumunt quidem interpretes Iuris, ficta interdum nomina, vt de Iure ſtatuant, velut cùm inducunt Titium, Caium, Seium, & ſimilia: vbi tamen ſuppoſitis nominibus, facti, & iuris ratio examinatur, id non conſueuerunt, alioqui tecum nugarentur, & plura inuoluerent.

Adde, Pirre, diuerſum quid eſſe fictionem iuris, & fictionem Interpretum iuris, hæc ferè in nominibus, & poſitionibus verſatur, aut in exemplis, numquam in re ipſa, niſi id iura poſcant, alioqui falſarij ſint, non Interpretes. Fictio iuris verſatur in re, ſed cum authoritate Principis iura condentis, cuius rei exemplum te ſupra docui, vbi de Eleutherij patria, & ortu, quæ inciderunt, aſſerui: in præſenti nulla eſt iuris fictio, ſed clara facti interpretatio, quàm qui in diuerſum trahit, non Interpretibus duntaxat, verùm & conditoribus imponit. Haec obiter, quid enim tecum in Iure?

Sed tu quàm praeclarè diuinas de Interpretibus. *Quamquam aduerterint plerique, legendum eſſe Panormitana, quod nos ſentimus.* Vnde tibi hoc conſtat, Pirre, quod animaduerterint? quod tu ſenſiſti, qui nondum eras? Pergis; *prudentiæ tamen fuit, cùm lectorum commodo conſulentes quæſtionis argumentum non inuerterent, ſed in eo, qua ratione fuerat ab alijs conſtitutum, verſati ſunt:* nimium voluntaris in iure.

Nugae ſunt, Pirre. Non erat incommodum, ſi vno verbo locum correxiſſent, ne prauam conceptionem in animis legentium, aut audientium ingenerarent. Imò ad id tenebantur,

nebantur,

nebantur, cùm ratio facti agebatur. An putas, Pirre, vt Ariſtoteles interdum ab A ad B, & C ſyllogiſmum format, ita etiam fieri in legibus, vbi factum verſatur? Certè nec Philoſophus, vbi ſemel docuit ſyllogiſmum conficere imaginarium in quauis materia, eoſdem terminos ſeruari volet in ſcientijs acquirendis, alioqui multa tibi diſplicentia concludas oportet. Sed ego ex te Philoſophum?

At inquis, *moleſtiam exhibuiſſent lectoribus, qui recentiores Scriptores cum veteribus committunt, ſi vel leuiter ab antiquis receſſiſſent interpretes noui.* Nimis es ſcrupuloſus, Pirre, in re non tua, ſed tamen fateri videris antiquorum lectionem Meſſanae fauere, idque relictum ab interpretibus nouis, ne moleſtiam exhiberent lectoribus: ſed cur ſaltem interpretes noui, non hoc ipſum, quod dicis, monuerunt? quia nunquam cogitauerunt, nec poterant cogitare verum eſſe, quod tu dicis: proinde lectionem antiquorum tanquam veram ſuſceperunt, & ad interpretationes ſuas adhibuerunt.

Si ergo, inquis, *quæramus, an Cencius* (Legatus *) Meſſanenſem Eccleſiam Panormitanæ, an Panormitanam Meſſanen ſi ſubdiderit: non ab Iuriſconſultis petenda ſunt ſuffragia, qui quod ad Hiſtoriam ſpectat, alij ab alijs accepere, parum ſoliciti, quonam modo res ſeſe habuerit, ſed oratio ipſa Innocentij, & totius Epiſtolæ tenor, ac conſecutio, Scriptores item, qui illa vnde hæc pendent, enarrant, conſulendi ſunt.*

Admitto conſilium, & paulò poſt ex Inchofero oſtendam, quàm tibi ſit fauens oratio Innocentij, & totius Epiſtolæ tenor. Interim non eſt verum, quod dicis, Iuris interpretes parum ſollicitos fuiſſe, quomodo ſe res habuerit: quando ex his etiam de prærogatiua Meſſanæ ſupra Panormum concluſerunt. Quod de Scriptoribus cõſulendis ſuades, qui illa, vnde hæc pendent, enarrant, vana ſunt; ruunt enim horum narrationes, ſi oratio Innocentij, & Epiſtolae tenor, & conſecutio in tua figmenta militent.

Quare, quae affers de Cencio, & Gualtherio, de Berardo,

do, & Marcoualdo, ex iiſque coniecturas ducis ad improbandam vulgatam Innocentij lectionem, leuia ſunt, nec à loco intrinſeco petita, vt bene feceris, te cohibendo, ne declamare videreris: ſed neque poſt nonnulla rectè dicis, Epiſtolae tenorem, atq; connexionē requirere, vt in hanc formam Innocentij verba proferantur. *An exiſtimas, quia vices noſtras tanquam Legato tibi commiſimus exequendas, quod Panor. Eccleſiam poſſes ſubijcere Meſſanenſem, vt illam iſti præficeres:* neque enim rectè legis, ſed contra communem omnium exemplarium Decretalium, & Interpretum lectionem peruertis, neque rectè cōſtruis, vt ex ſequentibus conſtabit, & quænam, quæſo, iſta periſſologia, quod Panormitanæ Eccleſiæ poſſes ſubijcere Meſſanenſem, vt illam iſti præficeres, vt taceam de peruerſione mentis Legati, & iuris conſtitutione: Proinde eſt, quòd in his admodum gaudeant Meſſanenſes Bonfilius, Piccolus, aliiqué.

Placet tamen, quod veritatis ſtudio, quod ſentis in medium proferas, quicquid tandem inde concludas. Ais ergo: *Me iudice, nihil Panormitanos pro ſua Eccleſia prærogatiua ex hac Epiſtola, nihil Meſſanenſes pro ſua poſſe repetere*: primum concedo, ſecundum nego. Sed cur id ais? *Cum enim reſcripſiſſet Cencius pro Legati authoritate, qua fungebatur Gualtherium in Panormitana Cathedra conſtituiſſe, rationem illam perſtringere, atque elidere conatur Pontifex. An fortè,* inquit, *exiſtimas, quod noſtras tibi vices demandauerimus, &c. poteris etiam vnam Eccleſiam alteri ſubijcere, Epiſcopatum vnum in duos partiri, vel duos in vnum vnire?* Huius dicti hanc certiſsimam dicis eſſe ſententiam, quam explicare non pigeat.

Quamquam Cenci in mea ſis legatione, liquet profectò te Eccleſiam quampiam, verbi cauſa, *Meſſanenſem Panormitanæ ſubijcere haud poſſe: conſtat planè duos per te legatum Epiſcopatus coaleſcere, vel vnum in plures ſeiungi haud poſſe: haud ab ſimili igitur ratione, quanquam legationem meam in Sicilia obeas, haud licuit tibi Epiſcopum ex vna in aliam transferre*

Eccle-

Eccleſiam; pleraq; enim ſunt, quæ peculiarem deſiderent à Pontifice poteſtatem, neque cum legationis iure eorum facultas demandetur. Vt igitur ex ijs Innocentij verbis nemo id eliciat, quod duos coniunxerit Epiſcopatus, vel vnum ſeiunxerit Cencius, ita planè nec quampiam Eccleſiam alterius ſuffraganeam conſtitutam.

Hæc verò, ais, interpretatio ita ſine obice fluit, ni fallor (fluit ſanè, & prorſus ſine conſtantia dilabitur) *vt ſi eam initio propoſuiſſem, haud dubium ſit, quin omnibus arriſiſſet* (ego verò, & omnes mecum riſiſſemus) *qua de cauſa ab eo labore ſuperſedere fortè poteramus, dum oſtendimus legendum eſſe Panormitanæ, non Panormitanam, in Innocentij literis* (poteras ſine vllo dubio & ſuperſedere, & ſedere) *Volui tamen eam ſtatuere diſceptationem, vt hanc libentius Meſſanenſes meam amplecterentur ſententiam* (præclari alicuius, ac ſubtiliſsimi Iuriſconſulti interpretationem deberent ſanè amplecti, imò oſculari, at tuam, mi Pirre, non acceptant, imò reſpuunt, rident) *nimirum quia niſi illis placeat id ipſis diſcrimen impendet, vt Meſſanenſem Eccleſiam ſubiectam olim à Legato, ſiue iure, ſiue iniuria Panormitanæ fuiſſe concedant* (non concedunt, nec id diſcrimen illis impendet; ſunt enim in antiquo iure immobiliter fixi) *Si enim hæc verba non ad exempli gratiam afferuntur à Pontifice, ſed rem à Legato geſtam declarent,* (omninò declarant) *euincunt profecto collatam olim Panormitanæ Cathedræ poteſtatem à Legato in Meſſanenſem Eccleſiam* (non euincunt, imò contrarium) *cùm tamen ipſe integram, germanamque periodum Innocentij, non tam reſtituerim, quàm oſtenderim, plaudente ipſa Epiſtola, hiſtoricis, & quæ humanæ mentis eſt domina ratione* (corrupiſti, plangente ipſa Epiſtola, hiſtorijs non annuentibus, imò reluctantibus, contradicente Innocentio, & Canones interpretante docta ratione, & te iuris imperitum arguente.

Nihil proficis, Pirre, quanquam ex Grammatico videaris factus Dialecticus, ſed non rectè diſcurris, nihil rectè deducis. Verba Innocentij hæc ſunt. *An exiſtimas, quia vices*

noſtras tanquam Legato tibi commiſimus exequendas. Quod Panormitanam Eccleſiam poſſes ſubijcere Meſſanenſi, vt illam præficeres iſti, conceſſo ſibi priuilegio primatiæ? An putas ex eadem cauſa tibi licere duos Epiſcopatus vnire, vel vnum diuidere ſine licentia ſpeciali. Ex quibus, ſi verba ſpectes, hunc elicere debes ſenſum. *Non ex eo, quod tibi commiſimus, vt Panormitanam Eccleſiam poſſes ſubijcere Meſſanenſi, vnà etiam conceſſimus, duos Epiſcopatus vnire, vel vnum diuidere.* Hunc eſſe genuinum ſenſum, etiam lippis, & tonſoribus notum, nec multa hic opus Dialectica in re tam clara. Idem verò ſenſus confirmatur ex capitulo antecedenti, *Niſi ſpiritualis.* vbi reprehenditur Cencius, quod motu proprio præſumpſerit Troianum Epiſcopum de Troiana Eccleſia ad Panormitanam de facto transferre, non tamen reprehenditur, quod Panormitanam ſubiecerit Meſſanenſi, imò potius inſinuat Pontifex ad id habuiſſe Cencium facultatem ſpecialem, nõ verò ad alia, quæ ibi narrantur, poterat eadem facultas extendi, ſed danda erat noua facultas ſpecialis.

Itaque ſi agendum de ijs, quæ verba præ ſe ferunt, clarum eſt hunc ſenſum ſequi conſecutione quadam naturæ, tuam verò interpretationem ex abortu ortam, & tortam eſſe, & verbis obſcuratis obſcuriorem.

Non eſt tamen diſcedendum à communi Doctorum interpretatione, & vno verbo, quod verba clarè dicunt, accipiendum Legatum Panormitanam Eccleſiam, aut ſubiecisse, aut ſubijcere voluiſſe Meſſanenſi, perpetua huius ex omnibus capitibus dignitate. Et quanquam aliqui Codices ſint, præſertim Lugduni impreſſi characteribus antiquis, anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto, & circiter, in quibus ita legatur. *Panormi. Eccleſiam poſſes ſubijcere Meſſan.* id quod factum ex vſu illorum characterum, in quibus non hæc ſolùm, ſed pleraque contracta ſunt, quod videre eſt in omnibus libris id genus characteribus excuſis, recentiora tamen exemplaria Gregorij XIII. iuſſu edita, atque adeò rotundis, & planis characteribus verba ſingula

inte-

Digitized by Google

integrè edentia, ita hanc ſententiam exprimunt, vt Eccleſiam Panormitanam indicent fuiſſe ſubiectam Meſſanenſi, & alioqui dici debebat, Panormi Eccleſiæ poſſes ſubijcere Meſſan. plano enim ſenſu oppoſitum inferebatur, Meſſanenſem ſcilicet Panormitanæ fuiſſe ſubiectam, at cùm dicat *Panormi. Eccleſiam*, non iam hoc ſubſtantiuum rectiùs iungitur, cùm longè poſito adiectiuo Meſſan. vt ſenſus ſit Eccleſiam poſſes ſubijcere Meſſanenſem, ſed Panormitanã Eccleſiam poſſes ſubijcere Meſſanenſi; ſic enim adiectiuum cum ſubſtantiuo immediatè coniunctum faciliorem reddit orationem, aut certè Panormi Eccleſiam, vt ſubſtantiuum cum ſubſtantiuo genitiuo caſu rectum eandem redderet orationem, ſed quid ego Iuriſperitus te Grammaticam doceo, conſule Magiſtrum tuum, & ciuem Littaram.

Porrò & Lugdunenſium, & id genus aliorum Codicum, non alium eſſe, quàm hactenus allatum ſenſum, patet interpretum, tam antiquorum, quàm recentium lectione, & interpretatione; recentium præterea exemplarium extenſione, quæ interpretatio quædam, & expreſsio eorum dici poteſt, quæ in quibuſdam Codicibus contractè, vel abbreuiatè leguntur.

Ita ſanè legunt omnes Coloniæ impreſsi Epiſtolarum Innocentij codices, ita exemplaria Decretalium Romæ, & alibi edita, ita legit Abbas Panormitanus Præſul, qui minimè neglexiſſe videri poteſt, tam præcipuam, & ad ſuæ Eccleſiæ pertinentem dignitatem. Ita, inquam, veſter legit Abbas, quem tu facile Panormi natum voles, & profectò, vel ſi iuris illi ſit patria Panormus, mirum videri queat, cur hanc lectionem non traxerit eo ſenſu, quo tu diſcerpis, verùm expreſſè narrat ex capite præcedenti: *Legatus in regno Siciliæ authoritate propria ſubiecit Panormitanam Eccleſiam Meſſanenſi, conceſſo ſibi priuilegio primatiæ, credens hoc ſibi licere ex officio Legationis, &c.*

Eodem modo in cap. Quod tranſlationem. de offic. leg. legit Andreas Barbatia, & ipſe Siculus, qui idcirco ſicut

Abbati dubio procul nota fuerint acta Legati, nec ſolùm eodem modo legit, verùm etiam probat, vnde poſt multa hæc habet: *Colligo etiam, quod in quantum iſte Legatus reprehenditur, quod ſubiecerit Eccleſiam Panormitanam Eccleſiæ Meſſanenſi, vt Meſſanenſis Eccleſia haberet ius primatiæ, nec reprehenditur, quod indignam rem faceret, ſed ex eo, quod præſumebat facere ſpecialiter reſeruatum Papæ, & ſic colligo argumentum: quod Meſſanenſis ciuitas dignior eſt ciuitate Panormitana, & ad hoc nouiſſimus ego allego iſtum textum, & iam fuit doctrina Macrobij.* Hæc ille, ex quibus & ego colligo non eſſe nouam, ſed vetuſtam hanc veritatem de dignitate Meſſanæ ſupra Panormum, quæ etiam fortè cauſa fuerit, cur Panormitanus eam lectionem minimè vindicarit. Nec verò ſolùm id intelligi debet de Eccleſiaſtica, ſed etiam de politica dignitate, iuxta ea, quæ habet Inchofer de conſuetudine antiqua fundandarum ſedium in præcipuis prouinciarum vrbibus, quod Baronius quoque latè atteſtatur: quod tamen quomodo ſit intelligendum, ne à iure Pontificio, & iuriſdictione Eccleſiæ diſſentiat, Inchofer in noua editione in notis luculenter explicat. Præcipuam verò vrbem Siciliæ principem Meſſanam fuiſſe, veluti Italiæ Romam, Neapolim, ex Petro Alexandrino, in *S*iculis faſtis videre eſt, ita vt omnibus iam dubitandi anſam præripiat.

Denique ne infinitos allegem, ſed in ore trium teſtium exceptione maiorum ſtatuam hanc veritatem, eandem habet lectionem Baldus lucerna Iuris, quod nempe Legatus voluerit Panormitanam Eccleſiam ſubijcere Meſſanenſi, conceſſo priuilegio primatiæ. Quid ad hæc, Pirre?

Sed iam, quod promiſi, reſpondebo ex literis Romæ ab Inchofero datis ad tuam illam, & Franciſci Baroni in Maieſtate Panormitana Grammaticationem.

Petiueram ego ex Inchofero, quidnam ſentiret de eiuſmodi Canonis Innocentij Grammatica interpretatione, quam quidam recentiores haberent. Reticueram veſtra nomina, ita quippe imbutus fuit, vt ne audire quidem vel-

let hominum ſententiam; quos falſi reos dudum pernouiſſet. Reſpondit verò breuibus in hunc ſenſum. *Eos, qui verba Innocentij ſic vexarent, nec Grammaticam callere, nec conſuetum Patribus, atque adeo Innocentio loquendi morem, nec denique melioribus literis tinctos eſſe.*

Ac in primis, inquit, *ſat familiaris eſt hic modus loquendi Auguſtino, vt pronomen* [ille] *vel* [illud] *rem proximè poſitam in oratione ſignificet,* [iſte] *verò longiùs remotam.* Ita loquitur in prolog. lib. 3. de Trinit. & refertur diſt. 9. cap. Noli. Vbi *Noli meis literis, quaſi Canonicis ſcriptis inſeruire, ſed in illis, quod non credebas, cùm inueneris incunctanter crede, in iſtis autem, quod certum non habebas, niſi certum intellexeris, noli firmum tenere.* In qua oratione quis non videt pronomen [illis] referri ad Canonica ſcripta proximè poſita; his enim monet incunctanter credendum, pronomen verò [iſtis] referri ad remotiora [meis literis] in his enim monet, non eſſe firmiter aliquid tenendum, niſi certum intelligatur. Quid ad hæc, Pirre? ſiles. Vbi nunc illa tua Grammatica iactantia, qua immodicùm turgebas, & his arguebas. *Quis vel primoribus labijs latini ſermonis attigit latices, cui non conſtet pronomen* [*illam*] *mentis oculis ſubijcere, quòd longiùs diſtat ſubſtantiuum, &c. ſcilicet vt illam præficeres iſti, Hoc eſt Panormitanam Meſſanenſi?* Quid hic dicis, Pirre? loquere, inuoca Littaram: an fortè primoribus labijs non attigiſti latini ſermonis latices?

Optarem te, Pirre, in Auguſtino verſatum eſſe, ò quàm multa præclara condiſceres, ex ſermone præſertim decimo quarto de Natiuitate, vel quod magis huc ſpectat, optarem legiſſes ſermonem primum in feſto ſanctorum Innocentium, vt te minus nocentem agnoſceres; viden quo te numero habeam, vt ad Innocentes reuocem? Quid hic verò, nempe Auguſtinus ferocientem in cæde infantium militem deſcribens, inter alia, *Pugnabat, inquit, mater, & carnifex, ille trahebat, illa tenebat.* Quid dicis Auguſtine? non vereris flagellum Pirri noui Grammatiſtæ,

ſtæ, aut tu certè nouum Grammatiſtam flagellas: non te putes, quæſo, nimium vexari, Pirre, quaſi oratione Auguſtini in Canones tibi ignotos relata, velim te cruciari, ac velut aduerſari.

Quæ modò attuli, habentur in Breuiario Romano, in Octaua Sanctorum Innocentium, in ſecundo Nocturno, lectione quinta in medio. Vellē te, Pirre, officij tui memorē, diligentius meminiſſe Canonis Dolentes. de celeb. Miſſar.

Pergit Inchofer. *Plurima poſſem adducere loca eiuſmodi paſſim in iure Canonico, & Sanctis Patribus, imò etiam in latinitatis principibus, quia tamen tædet grammaticæ, vbi grauiora meditor, niſi fortaſſe cum Grammaticis tibi res eſt, vt eos flagelles, qui Piccolum corrigere amant. Accipe ergo hæc alia, Liuius lib. 10. ſecundi belli Punici.* [*Melior, tutiorque eſt certa pax, quàm ſperata victoria.*] *hæc,* ideſt certa pax, *in tua, illa in Deorum manu,* ideſt ſperata victoria. Quid hic, Pirre? conſule modò Littaram, aut tua ſynonyma.

Quintil. lib. 10. cap. 2. *Quo fit, vt minus ſanguinis, ac virium declamationes habeant, quàm orationes, quod in illis,* ideſt orationibus, *vera, in his,* ideſt declamationibus, *aſſimulata materia eſt.* Quid dicis, Pirre? voca Baroni, attingite vterque primoribus labijs latini ſermonis latices.

Sed etiam vexabit te Cicero. Is lib. 2. offic. *Hanc ego conſuetudinem benignitatis, largitioni munerum antepono; hæc,* (ideſt benignitas) *eſt grauium hominum, atque magnorum, illa,* ideſt largitio, *quaſi aſſentatorum populi.* Reſponde, Pirre, quid taces? Bibe ex his laticibus, ſed ne Inchoferum tædeat nucum, ac nugarum Grammaticarum, iubet me ablegare tales Grammaticulos ad Plinium iuniorem, Columellam, & alios. Eius ergo iuſſu, ego te quoque cum tuo Franciſco Baroni ablego ad agricultorem quando ex Littara non tantum accepiſti.

Ac ne fortaſſe dicas (neque enim alio, quàm huc inepte confugias) non eſſe hunc morem loquendi conſuetum Innocentio, dicam in primis, quid tum? ſufficit ſemel ita lo-

quutum

quutum, deinde afferam ex eiuſdem Inchoferi literis alium planè ſimilem locum ex eodem planè Innocentio. Is in lib. 2. epiſt. Decret. in epiſt. ad Patriarcham Conſtantinopol. vbi prorſus ad rem agit de Primatu, & prærogatiua Romanæ Eccleſiæ hæc habet. *Ad omnem tamen dubietatem tollendam tua fraternitas debet diſtinguere, ſecundum diuerſas nominis rationes inter Romanam, & Hieroſolymitanam Eccleſiam, quod illa* (ideſt Hieroſolymitana) *dicenda ſit mater fidei, quoniam ab ipſa, ſacramenta fidei proceſſerunt, iſta verò*, (ideſt Romana) *dicenda ſit mater fidelium, quoniam priuilegio dignitatis vniuerſis fidelibus eſt prælata.* Hæc Inchofer. Nolo ego plura addere ex eodem Innocentio, ne te tot latini ſermonis laticibus in fundum mergam. Scio enim te pudore ſuffundendum, cùm hæc legeris, ſed tua culpa, qui prouocaſti. An fortè exiſtimabas Grammaticas illas denuò verti quæſtiones, inter Littaram ſcilicet Præceptorē tuum, & Vitum Ghiappiſium, quæ hodieq; ab opellis editis, vel lemuribus riſum mouent. Qui Piccolum laceſſunt, à magnis, & multis parati eſſe debent.

Sed ſi fortaſſe minimè, quæ hactenus dixi, ſatis tibi videantur, nimiumque tuæ affixus latinitati, inſtar Polypi velut ſaxo adhæreſcas, conſule Iuris interpretes, qui hæc ipſa pronomina hoc eodem in cap. explicarunt, Ioannem Andream. At ſingularis eſt fortaſſe teſtis? verùm omni exceptione maior. Conſule Hoſtienſem, caue ne hos etiā primoribus labijs latini ſermonis latices minimè attigiſſe dicas; hæc illorū ſunt verba, *illam, ſcilicet Meſſanenſem, iſti, ſcilicet Panormitanæ, ſibi, ſcilicet Meſſanenſi.* Vin afferam alios? ſed quid pluribus. Porrò coniectura, quam de ſuſpicione Legati erga Berardum ſubnectis, adeo nullius eſt momenti, vt de ea dici poſsit, pauperis eſt numerare pecus; quia non niſi inopia ſimili ratione vti cogit.

Poſtremò ex his omnibus, vt ego aliquid colligam, Dico primò cum Barbatia, hinc optimè ſequi Meſſanam dignitate præire Panormo, idq; tum iure politico antiquitus inducto

ductò, tum Eccleſiaſtico, ad quandam quaſi ſpeciem iuris antiqui formato, quod latè proſequuntur Baronius, Inchofer, & alij.

Secundo tempore Innocentij recentiorem fuiſſe Archiepiſcopum Panormitanum, Meſſanenſem verò antiquiorem, alioqui non facilè veniſſet in mentem Cencio Legato, vt Panormitanam Eccleſiam ſubijceret Meſſanenſi, niſi hæc dignior fuiſſet; dignitas porrò trahit ſecum inter alia plerunque antiquitatem, ſeu vetuſtatem.

Tertiò, non quocunque modo fuiſſe Eccleſiam Panormitanam Meſſanenſi ſubiectam, ſed iure Primatiæ, ſiue conceſſo ſibi iure Primatiæ, vt loquitur Innocentius. Neque enim Archiepiſcopatus vnus ſubditur alteri, niſi hoc iure.

Quartò, Archiepiſcopatum Meſſanenſem, vel tunc fuiſſe factum ſedem Primatis, vel longè ante fuiſſe, quod probabilius eſt iuxta paulò ante dicta. Proinde Archiepiſcopum Meſſanenſem non ſolùm fuiſſe primum in Sicilia ratione antiquitatis, ſed etiam ratione Primatiæ, quomodo hodie etiam in multis regnis ſunt Archiepiſcopi Primates, cui ceteri tam Archiepiſcopi, quàm Epiſcopi ſubduntur. Eiuſmodi olim in Germania fuit Archiepiſcopus Magdeburgẽſis, hodie Moguntinus: in Hybernia olim Dublenſis, in Hungaria hodieque eſt Strigonienſis, & ſic in alijs, & hinc eſt, quòd Meſſanenſes quidam authores ſuam Ciuitatem, & Eccleſiã Protometropolim vocant, quod nomen monſtruoſum tibi videtur meritò, quia nomen Primatis monſtrat, ac demonſtrat.

Quintò, Panormitanum Archiepiſcopatũ non eſſe nimis antiquum, ſed longe recentiorem Meſſanenſi, quod ſemel ex dictis manifeſtum euadit, ſit mirum ſanè videbitur alicui tot Pontifices fuiſſe Siculos, quos ferè Panormitani ſibi arrogant, tanquam ciues, nullum tamen ex his ea dignitate, aut ſimili aliqua prærogatiua vocabuli, patriam ſuam nobilitaſſe, ex quo etiam vlterius facilè ſequetur, aut non fuiſſe Panormitanos, aut Panormum non eius dignitatis fuiſſe

Ciui-

Ciuitatem, cui ſimilis prærogatiua decenter conueniret.

Verùm, vt ego aliquid plus concedam, hic demum te, Pirre, verbis, & modo loquēdi ipſius Innocentij huc tranſlatis alloquar, ad omnem dubietatem tollendam, tua Fraternitas debet diſtinguere ſecundùm diuerſas nominis rationes inter Meſſanenſem, & Panormitanam Eccleſiam, quòd illa, ideſt Panormitana, eſt Mater Fidei, quatenus illam ſemel receptam, quantum potuit, ſemper fouit, etiam in Gentili Saracenorum dominatu, quamuis hoc pacta inita cùm Normandis negent; iſta verò, ideſt Meſſanenſis, dicēda ſit Mater Fidelium, quia non ſolùm receptam ſemel Fidem non mutauit, ſed etiam Mauros Rugerio aduocato tandem toto regno depulit, proinde Mater eſt Fidelium Siculorum, atque ideo priuilegio dignitatis vniuerſis Siculis eſt prælata.

Ceterùm, vt hæc ita, ac minus obliquè dicta videri cupimus, præcipuum hoc loco inſtitutum noſtrum eſt Summorum Pontificum authoritatem venerari, Oraculis, & dictis eorum Canonicis, ac in iura inſertis, eum habere honorem, ac reuerentiam, quam decet Eccleſiæ filios erga Chriſti Vicarium: neque ſolùm, ſed eadem ab omni ſiniſtra interpretatione tueri, à mendis inconſiderantia quorundam, ſiue irreuerentia inductis vindicare, & ſuæ integritati, & veritati reſtituere. Idcirco Canonem Innocentij III. *Quod tranſlationem de offic. Leg.* hoc loco genuinè, & ſua pura, ac puta ſinceritate animus fuit deſcribere, iuxta ipſiuſmet ſanctiſsimi, ac doctiſsimi Pontificis mentem, & omnium iuris Interpretum reuerentem explicationem, ne in poſterum ſit quiſpiam, aut ſtudio partium abreptus, aut à iuris profeſsione, meliorique doctrina alienus, qui mendoſam, & cenſuræ obnoxiam, abſque vlla ratione adhibere auſit interpretationem.

Textus porrò Canonis hic eſt, tam in antiquioribus codicibus Lugduni anno 1545. quàm Venetijs iuſſii Gregorij XIII. editus anno 1583. *in cap. Quod tranſlationem. de offic. Leg.*

Z *Quod*

Quod tranſlationem, &c. paulò poſt. *An exiſtimas, quia vices noſtras tamquam Legato tibi commiſimus exequendas, quòd Panormitanam Eccleſiam poſſes ſubijcere Meſſanenſi, vt illam præficeres iſti, conceſſo ſibi priuilegio Primatiæ, &c.*

Tollenda igitur falſificatio Rocchi Pirri. *Quod Panormitanæ Eccleſiam poſſes ſubijcere Meſſanenſem, vt illam iſti præficeres.*

Eodem amore veri, & zelo reuerentiæ erga literas Pontificias reſtituimus etiam Breuia Apoſtolica Indultorum, iam ante ab Inchofero animaduerſa falſificatione Franciſci Baroni, quem tu quoque, Rocche Pirre, additis quibuſdam alijs mendis imitatus es, niſi te fortè ille imitatus fuerit. Ita verò ſe ſe habent.

PAVLVS PAPA V.

Vniuerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

AD augendam fidelium religionem, & animarum ſalutem, Cæleſtibus Eccleſiæ theſauris, pia charitate intenti, omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, poenitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui Eccleſiam Metropolitanam Meſſanenſem, & in ea ſitam Capellam Beatæ Mariæ de Litera nuncupatam, in tertia die menſis Iunij, à primis Veſperis vſque ad occaſum Solis diei huiuſmodi, ſingulis annis deuotè viſitauerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, & S. Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Iis verò, qui in ſingulis feſtis diebus Mariæ Virginis dictam Eccleſiam, & Capellam piè viſitauerint, & vt præfertur, orauerint, quo die præfatorum id egerint, centum dies: ac ijs, qui Litanijs eiuſdem Beatæ Mariæ, in dicta Capel-

la

In ſingulis Sabbati diebus recitandis, ſeu decantandis deuotè interfuerint, & vt præfertur, orauerint, centum dies de iniunctis eis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Præſentibus ad ſeptennium tantùm valituris. Volumus autem, vt ſi aliàs Chriſti fidelibus dictam Eccleſiam viſitantibus, aliquam Indulgentiam perpetuò, vel ad tempus nondum elapſum duraturam conceſſerimus, præſentes nullæ ſint. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die xv. Ianuarij, M D C X V I. Pontificatus noſtri anno vndecimo.

S. Cobellutius.

Eadem eſt forma Indulti conceſsi ab Vrbano VIII. qui hodie Eccleſiæ præeſt, hac ſolùm differentia, quòd in Paulino legitur. *In ea ſitam* Capellam *Beatæ Mariæ de Litera nuncupatam in tertia die, &c.* In hoc verò. *In ea ſitum Altare Beatæ Mariæ de Litera nuncupatum, tertia die, &c.* ſeruato de cetero in vtriſque ſenſu rei in cardine de Litera.

Tollenda itaque falſificatio tam Franciſci Baroni, quàm tua, Rocche Pirre, vna cum mendis, quæ tu idem, oſcitantia, vt leuiter dicam, immiſiſti, dum pro *ſitam* (*ſuam*) pro *iniunctis* (*iniuncturis*) ſenſu perturbato repoſuiſti, & redigenda ad veritatem ab Inchofero primùm, deinde à nobis deſcriptam ex originario exemplo, non ſolùm Panormi incorruptè executioni mandato, ſed etiam Romæ occaſione falſificationis à Franciſco Baroni compoſitæ recognito; vt vehementer mirer, & Franciſcum Baroni tantæ fuiſſe audaciæ, vt ex tabulis, & regiſtro de induſtria falsè exciperet, & te, Rocche Pirre, tantae inconſiderantiæ, vt hominem eiuſmodi imitareris, nec ad originarias tabulas intenderes, vt hoc ipſo meritò ſuſpectus videri poſsis in Notitijs, vel non ex originaria fide ductis, vel aliunde lubricè accerſitis.

Atque hæc modò, vt aduerſum te dicerem, Pirre, tua me coëgit importuna, & non neceſſaria contra religio-

nem Epiſtolæ diſſertatio, quam ſanè ſi miſiſſes, ſicut debebas, hoc tempore præſertim, maiori cum honore tuæ Notitiæ inceſsiſſent, nunc quoniam ita vis, erit breui, qui eas excutiet, & multa à te deprauata, & falſa oſtendet. Interim ſatiùs tibi fuerit, te omni prorſus iudicatu, & cenſura in ſcriptis magnorum virorum abdicare, & in cœtum redigere; neque enim idoneus es iudex ob præiudicatam in tabulis falſitatem, neque legitimus, non tam ob indiſcretum partium ſtudium, quàm quod vbi Areopagitæ iudicarunt, iuxta Atticum illud, ſilent foranei.

ADuerte Lector, dum extremum huic Operi prælum incumberet, veniſſe ex Vrbe literas nunciantes Rocchi Pirri, cum quo hactenus actum, libros authoritate *Sacræ* Congregationis Indicis, donec corrigantur, ſuſpenſos (iuſta ſanè cauſa, vt de temere ludenti luderent iam alij) ſubijt verò illico, eadem à doctiſsimis illis Cenſoribus, quæ à nobis animaduerſa, ac ſine dubio plura etiam, quæ nos fugerunt, præſertim cùm nō omnia, ſed pauca quædam examinanda pro re Meſſanenſium ſuſciperemus. Abſtinuiſſemus vtique ab affligendo homine, ſi hoc tempore quippiam de ſententia *S.* Congregationis ſuſpicari potuiſſemus. Vtique tamen gaudemus noſtro huic, quali quali conatui *S.* Congregationem fuiſſe ſuffragatam, viciſsimque noſtrum laborem ad calculum eiuſdem *S.* Tribunalis pro modulo ſuo accedere. Ac demum quicquid toto hoc Opere diximus, cenſuræ eiuſdem Sacri Tribunalis, adeoque *Sanctæ Sedis* Apoſtolicæ, pro cuius honore, & reuerentia tuenda magna ex parte hic deſudamus, libentiſsimè ſubijcimus.

LAVS DEO, ET B. VIRGINI
Meſſanenſium ex ſcripta Epiſtola
Protectrici.

Errata ſic corrigito.

In Dedicatoria in fin.		inceſſurae lege inceſſura.	
Pagina 1.	linea 5.	Meſſanenſi lege Meſſanenſium.	
pag. 5.	lin. 10.	arrogaris lege arrogatis.	
ibid.	lin. 19.	arbitrium lege arbitrum.	
pag. 7.	lin. 13.	velis lege malis.	
pag. 8.	lin. 11.	his lege hic.	
ibid.	lin. 19.	enim lege eum.	
pag. 14.	lin. 9.	norma lege normam.	
pag. 19.	lin. 19.	Haſbonae lege Haſbanae.	
pag. 19.	lin. 16.	Hasbonenſem lege Hasbanenſem.	
ibid.	lin. 14.	haebetudinem lege hebetudinem.	
pap. 20.	lin. 20.	ameniſsima lege amœniſsima.	
ibid.	lin. 28.	Germanicè lege Germaniae.	
pag. 24.	lin. 34.	illud lege illum.	
idid.		apertiſsimè lege apertiſsimum.	
pag. 26.	lin. 18.	Gallaecionem lege Gallæciae.	
ibid.	lin. 29.	illo lege ipſo.	
pag. 27.	lin. 8.	euertere lege aduertere.	
ibid.	lin. 18.	emolienda lege amolienda.	
pag. 30.	lin. 17.	ne lege næ.	
pag. 37.	lin. 15.	fuiſſe lege feciſſe.	
pag. 38.	lin. 28.	praeſtat lege proſtat.	
pag. 47.	lin. 23.	diſsileat lege diſsiliat.	
pag. 48.	lin. 18.	Mirandolae lege Mirandulae.	
pag. 56.	lin. 29.	abijſſe lege obijſſe.	
pag. 59.	lin. 8.	reciſſe lege reciſè.	
ibid.	lin. 16.	baculos lege baculus.	
ibid.	lin. 25.	idem ſit, lege vt idem ſit.	
pag. 64.	lin. vlt.	ſignificationes lege ſignificationem,	
pag. 70.	lin. 1.	cum lege locum.	
pag. 71.	lin. 34.	non aeternam lege aeternam.	
pag. 72.	lin. 19.	pateant lege patent.	
pag. 75.	lin. 1.	tamen lege tam.	
ibid.	lin. 2.	acinias lege lacinias.	
ibid.	lin. 25.	topica lege topicè.	

pag.

pag. 76.	lin. 31.	vitium lege vitij.
ibid.	lin. 33.	vt niſi lege & niſi.
pag. 77.	lin. 13.	recantare lege cantare.
ibid.	lin. 17.	Ætetoclem lege Ætheoclem.
pag. 78.	lin. 23.	antiquorum lege antiquiorum.
ibid.	lin. 33.	Siculorum lege ſeculorum.
pag. 79.	lin. 22.	ſententiam lege ſententia.
pag. 80.	lin. 14.	fama lege famæ.
ibid.	lin. vlt.	ſuſpiciuntur lege ſuſcipiuntur.
pag. 87.	lin. 20.	vnam lege veram.
pag. 88.	lin. 32.	quartũ, tertiũ lege quartam, tertiam.
pag. 90.	lin. 28.	ne fortaſſe libro tuo molem adderes, lege ne tibi non conſtares.
pag. 94.	lin. 33.	literino lege literio.
pag. 95.	lin. 18.	obire lege obiri.
pag. 101.	lin. 1.	excogitaſſe lege cogitaſſe.
pag. 102.	lin. 2.	Platinæ lege Platina.
ibid.	lin. 11.	non memini lege non nemini.
pag. 123.	lin. 17.	hominum lege hominem.
pag. 124.	lin. 4.	ſollemnitatem lege ſolennitatem.
pag. 126.	lin. 26.	quód lege quid.
pag. 154.	lin. 6.	Herocles lege Hierocles.
pag. 156.	lin. 27.	profecturam lege præfecturam.
ibid.	lin. vlt.	Gregorium lege Gregoram.
pag. 157.	lin. 28.	ninimirum lege nimirum.
pag. 159.	lin. 1.	pſi lege ipſi.
ibid.	lin. 12.	Pontificum lege Pontificium.
ibid.	lin. 29.	peruertat lege peruertas.
pag. 160.	lin. 12.	vbi de more adde Euangelium.
pag. 164.	lin. 4.	Legato lege Legato.
ibid.	lin. 32.	attingit lege attigit.
pag. 168.	lin. 13.	Eccleſiæ lege Eccleſiam.
pag. 172.	lin. 22.	Neapolim adde Campaniæ.
Per totum		Baroni lege Baruni.

Si quae ſunt alia, prudens Lector aduertat.

FINIS.

Reuerendiſſime Domine.

*V*Triuſque Iuris Doctoris Benedicti Saluago eruditiſſimam, eamque pijſſimam Apologiam pro Meſſanenſium pietate ex traditione repromiſſæ protectionis in Epiſtola B. Mariæ Virginis aduerſus Rocchum Pirrum Netinum, te iubente, attentis oculis luſtraui, lucubrationem reperio non minus ingenio, eruditione, & dicendi facundia nobilem, quàm religione, pietate, modeſtia præclaram, ita vt ex eius lectione plus ad Fideliũ religionem pietatis accedat, quàm ſuſpicio vel leuiſſima in Fidem, aut bonos mores oboriatur. Vnde ſumma omnium vtilitate prælo dandam cenſeo.*

D. Leonardus Patè V. I. & Philoſophiæ Doctor.

Digitized by Google

Reuerendiſsime Domine.

PErlegi attentè, & inoffenſo pede decu-curri totam hanc Benedicti Saluago Apologiam, quam pro Virginalis Epiſtolæ pietate tuenda, ac Melchioris Inchoferi conſtanter eam propugnantis auctoritate ſeruanda, aduerſus nonnullos ſciolos ineptè ſcriptitantes, eruditè non minus, quàm modeſtè lucubrauit. Nihil in ea, quod fidei Catholicæ diſſonum, nihil, quod morũ probitati cõtrairet, reperi. Dignum ſanè Opus, quod in lucem prodeat, vt multis in tantis ſcriptitationum tenebris lucem adferat. Ita cenſeo.

Fr. Didacus à S. Placido
Carmelita Diſcalceatus.

Imprimatur
D. Iacobus Stagno
Vic. Gen.

Imprimatur
Franciſcus Cauatore
pro Illuſtr. Præſide
de Blaſchis.

EMANUELE VITTORIO IN ROMA BIBLIOTECA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google